


ARCHIVES DE LA GRANDE CHARTREUSE



CHARTREUSE de WALDITZ

↻ Camp de Notre-Dame ↻

(PROVINCE D'ALLEMAGNE SUPÉRIEURE)

*Ex syntagmate historico Cartusiarum regni Boemæ,
Pars secunda.*

Ex Codicibus Ven. Patris Domni Palemonis BASTIN

MS.

Synthesma historicum Carthusiarum
regni Bohemiae.

Argumentum totius manuscriptori et copia partis
episcopi Jatei Carthusiae Valdensis
in annis 1636 - 1675
describentis.

Venerabilissimo ac optimo Patri
Dom. Falemone Basini
dedicat
suus

P. Anto de
Boemia

Olava in Aprili 1910.

I

Syntagma historicum Cartusiarum Regni
Boemiae etc. titulus est chronici MS asservati in
archivio terrae Moraviae [Moravský zemský archiv -
Mährisches Landesarchiv) Pruniae. Originale habet
386 pag. Signatum est MS: XII. a. 15. e saec XVII anonym.
Pragae in Archivio terrae est copia ejus in 4^o in 225 fol.
= 450 pag.

Quia pars I. continet de Cart. Pgeni et aliis eaque jam
ex Annalibus nota sunt auct. alibi jam et melius elaborat
non describi feci eam; de parte II. solum ea quae in Chrono.
logia Mariae Castri d. Caspari Dinsfeldii non sunt huc sumpsi
Res eorumdem Waldianensium in initio [et etiam Slipenses]
et minus annos usque ad mortem fundatoris d. Dinsfeldii
melius et fuitis habet.

Continet autem MS. capita haec: [paginae cito copiae Pgeni

fol 1-82 inqressu

Pars prima

De rebus Cartusiarum Reg. Boh. 8a-67b.

Cp I De Cartusia Pgeni 8a-37b

- Numer. 1. Ingressus in narrationem 8a-9b
2. Fundator quis et qualis 9b-14a
3. Loci et situs amoenitas 14a-15a
4. Splendor et magnificentia 15a-16a
5. Possessiones et opes 16a-26a
6. Priorum liberalitate crescit 26b-27b.
7. Gloria virorum ejus 27b-30b
8. Coloniae deducta 30b-32b
9. Excidium 32b-37b.

Cp II De Cartusia Poděboadensi 37b-42a

- Q^{III}. de Carlusca Sicomystensi 42a - 67b
- N^s 1 Alberti fundatoris genius 44b - 47b
 2 Albertus fundator quis? 47b - 52a
 3 domus fundatio 52a - 56b
 4 Alberti mors 57a - 58b
 5. Translatio Rubei 59a - 67b

Fons altera

Fundatio Skipana et Waldiciana 68a - finem

[hic nubi notavimus: Cap^t I. Fundationis cunabula 73 - 137

A 1615	73b - 75b	1621: 96 ^b - 106 ^a
1616	76a - 79a	1622: 106 ^a - 107 ^b
1617	79a - 82a	1623 107 ^b - 109 ^a
1618	82a - 85b	1624 109 ^a - 111a
1619	85 ^b - 88 ^b	1625 111 ^b - 115a
1620	88 ^b - 95 ^b	1626 115 ^a - 118 ^a
		1627 118 ^a - 118 ^b
		1628 119 ^a - 124.

tunc in orig. desunt anni 1629 - 1635 = folia 215 - 220 et
 sic in copia vasaue stand pagina 125^a - 127^b

1636 : 128^a - 132^a

N^s 5 Inno Proris Philippi 132a - 137a

Cap^t II. P Dominus Pror 137^a - 147^b

Cap^t III. P Guillelm Pror 147^b - 162^a

Cap^t IV. P Laurentius Pror 162^b - 173^a

Cap^t V. P Franciscus Pror 173^b - 188^a

Cp VI P Bernabino Anon 188^a - 192^b

Cp VII P Alexius Rio 1926 - 226^b.

Ut lector quilibet cognoscit scriptum est chronicon a
viro in Carthusia degente quod magni est momenti; sed
stylus et forma narrationis docent et penitus debere
coercere si materia non sufficit. Quam aliud pretium MS
haberet si fata accuratius, abitūs et migrationes mona-
chorum fortius describeret loco illius styli extatici qui
de persona Anioris agit que repetit dicta phitosophum,
comparationem singulorum Priorum ad arbores finissime
extendit et quasi nihil fecissent et nihil de ipsis dicendum
esset, suo multiloquio supplere pensit. In eo coelo differt
ab eo MS Denisfeldianum quod res minimas commemo-
rat et fere prorsus me lectore personas agentes.

Eo de causa omni describere omnia, solum ea
quo nullibi adhuc reperi.

Auctor se nullibi nominat. E fine in Cp VI in calce sermonis
de P gerhard dicit "anno superiore in obliuio erectis pro-
latus Carl Blom." quod factum est a 1673. Est ergo saltem
finit MS. scriptus a 1676.

P. Fappert in vital P. Dominus no pg 425 ait Franc. Steinzel
in Jemic + 1645 loqui in suo MS. Syntagma de P Malbia
Mittner etc. - etiam in pg 409 citat ^{Fappert} Steinzel tanquam
auctorem

Pez in bibl doctica citat eundem: ex qd: in prefatione ad
P Laurentii Wartenberger opera ad finem: refert Franc Steinzel

"varius ~~pro~~ ^{pro}logis ~~pro~~loga in primis etc que in me hac copia sunt
in pg ~~96~~ 96. Franc. Steinzel inveni etiam in Synopsi

Chronologica Val. Fos. et dicitur fuisse alium ord. Capucinorum
et a 1671 factum esse vicarium d. Olom. a 1674. mititel
fors idem Heintzel = Steintzel? Arpacum et fors est ergo mendax
in anno 1645 quem adducit Tappert qua annuum obitus
dicti P. Francisci Steintzelii fors debet esse 1675 nam
y = 7. et 4 saepe permittant et scriptores et in pressores.
- sed hinc finis debet esse ab alio an 1676 additis.

d. 1696. dicitur Franciscus Steintzel ~~prof.~~ antiquior P. Gemnicus
Quoad v. abrem historicum pariter primo dico: melior
2. diplomata (alias etiam nota) omnia habet superstruc-
tura super P. Balbinum et P. Cruicem (utroque S. J. in 17 saeculo
qui etiam manus adiutorias dederunt ut vidi in missis
historicis notulis de Bohemia in Annales. Nihil in Epistola
Balbino repugnat [ex gr. de Fadelbradeni Cartusia nulli
verbis dicit Pantinus: eam existisse et obire absque vestigio
et si diplomata non mansissent, omnino oblita esset
quod etiam Palb. habet licet nemo unquam unquam
tale diploma ~~videtur~~ ^{videtur} ubi res historicae ^{proprie} non suppediant,
attribet res omnino alienas ex gr. in Parte I ep. I. no 4.
loquens de splendore, vix nemi nem scire qualis ~~is~~ Car-
tusialis Pgenis fuerit structura, atamen - ait MS - certe
erat similis monasterio Abraslav [Aula Regia O. Cister. apud Pgen
et sic fere describit imaginem monasterii huius
Cisterciensis!

Potes ergo fataliter materiri quoad historiam d. Pge-
sis et d. Rukhi et fere facilius etiam in Valdicensi!

In Pt I. ep. I. no 9 in Excursio Pgenis d. " est curio sum
chronogramma quod simul mitto:

Ite oCVLI In LaCryMas falo saeVltVr aCorbo
In Mea glae genVI VlsCera ClnCta neCe
IngeMo: VICta rVo mopeLLor et oCCVpar Igni
VnDlqVe sClnLLas deCta DoLorls aLVnt.
annuLLatVr apVs neC aCVMIne stato reLICta
DeVlat hInC Vltra LVCI per Igne CaDo
hVnC CaLet et MVLCet sblens mperlonls aessVs
heV DoLor ara LVIt ConCIDIt Igne pOCVs
Celsa repLet CLangor sVns oMnla pVLVls et Ignls
Corrvlt aedls apex CeDlte saGra laCens.
Vae MhI sl Cessant VoCes oraCVLa psaltls
Vae MhI post CVLts sl Clnerata LoCor.²
Cernite nVnC pereo Mea VlsCera CVrulte quat
Cernite soLa Clnls pVLVls et VMbra Canor
are perll aC fLo LeMnos VVLCantla deLLVs
o Vsl CLaVstra? Chonl o osCVLa grada MhI?
glae CeClnl CeCIDI Deserta fVgator et Vrar.
CantlCa MVtato nLL nlsI LVCtVs ero.
VIM patlor! Conrtlsa VoCor Conrtlsa VoCabor
eXanIMls CLango ConClno rtlsle Vale
nVnC Mea LaVs obllt. Vah sors, sIC glonla Cessat.
hIC pLangant oCVLI qLVMIIna sIna fLVant.
ah perll perll sVpense nVnC eCCE neC VMbra
heV MhI nVnC laCeo paCta rVIna Chaus

o Mnta sVnt pLan CIVs sIC CVrrIt gLoria mostra!

Vt qvrlVna DeDt LVbrlCa sIC CLepIen

VICia rVo soLlo: soLlo-ne LoCablVr aMPLo

VICtor Vt ante DVces ? hIC seDes In CInere

hIC sVa LaVs haec gLoria In haC ne tyranne

pVLCare VICIstI VICtor es ante Mala

A 1636 in funis avulsi corpus Waldsteinii^{1.}
in Carthusiam Waldstiansem.

Quam vera Flusaeum video cecinisse poetam
Nudum hominem nasci nudum hominemque mori!
Ergo quae dederas (quid enim volo reddere nudus?)
Nuda mihi mater corpora nuda cape.

Virus ergo est Waldsteinius, caetera ut diximus, in-
corruptus, integer, nihilque mortis olens, naribus tan-
tum superne seu attritis seu truncatis, certe non de-
fluis. Ne vero verba tibi dari a nobis existimes, su-
persunt hodieque viri testes oculati, quibus semper
potissima veri cura fuit, qui ea inspexere et mem-
bra neutiquam rigentia, sed tractabilia flecti mo-
verique facilia vitali velut succo plena vitamque
prorsus spirantia attrectavere. Et quod stupeas ma-
gis, ne vulnus quidem semipalmo maius, quod
latere dextro, infra infimam costam, exceperat,
quidquam seu oculis sive naribus fastiditi pu-
toris admiserat: quod quorsum referendum, vide-
rint rerum seu naturalium, seu divinarum scu-
tatores. Nobis sat fuerit ea ex fide retulisse, quae
testatissima et incorrupta veritate nixa conperi-
mus. Non enim possumus, quae vidimus et
audivimus, non loqui. Exhibitae una sunt literae

Funeratio priori, a locum tenentibus regis, quibus iubebatur sine ullo honore corpus Wälsteinianum sepulcro condi, quantum coniux superstes viro impetrare potuit. Cui hoc quantumque est beneficii debuit: forte aliquando Ovidianum illud somniantis occinuit:

Ossa tamen facito parva referantur in urna
sic ego non etiam mortuus exulero.

Parata igitur morte subitario opere, meliore, quod et alterum caperet, loculo, appositum fuit ad latus dextrum tumbae primae coniugis suae Lucretiae, atque illic, donec perfecta aede sacra in cryptam ad id destinatam reponeretur iterato miraculo integrum, sed contractione iam cute velut tandem excedentis corruptentisque omnia temporis sentiret imperium, permansit. Sueci tamen superstitionosa militaris viri reverentia aliquot in annulata membra rescuere. Alii vero, qui amici olim fuerant, in furias versi caput omnino in fragmina minutisque comminuerunt; si iniquiore affectu ducti certe meminisse debuerant, quicquid humani sanguinis accidit cuius evenire posse. Non tu enim frugis alicuius pacem

existimes, qui se hominem, dum humana pati videt alium, non meminit, addo conspecto mortuo mortalem.

Tuo hic memorabo memorabilia ad posteros, quorum unum periurcundum sane et perlepidum severa Catonis ipsius ora in rimum solvat, alterum, ubi fidem invenerit, si non reverentiam, admirationem eliciat.

Dum hic iacet Wálsteinus, successu annorum, dum utroque milite caesareo et hostili scatet Bohemia, pulsi pellentes, victores victi, castrum Wáldicium tum vastum desertumque utriusque partis manipuli pervolitabant. Inexplebilis praedae aviditas, in refandos frequenter ausus secutos castrum impulit. Ea orexi quandoque inciti deprehenso ruri agresti homine atque in coenobium adstructo monstrari sepulcrum Wálsteinii iubent, rati illic defossos una cum copioso principe thesauros opimas praedam fore. Promptus id agit ruricola, in partem venire se lucri posse arbitratus. Movetur palangis sepulchrale saxum, patet atra vapidaque manuum domus. Eam ingressi omnia sagacibus lus-

trant oculis, omnia pertentant manu effractoque
 loculo, Waldsteinium mortalium pauperimum, au-
 ri argentique inanissimum, nudum omnino et
 vacuum velamine corpus intuentur: tum mu-
 tuo se respectant, stupent, pudoreque simul ac ira
 cassi laboris frendentes mussantesque in superiora
 prorepunt. Obhaeserat forte tantillum in fovea rus-
 ticus, egressumque postremus pigro lentoque ut ad
 stivam gradu movebatur!

At milites, eia, inquam, bone dux viae, operio-
 que comes. Thesaurum hic quaesivimus vana cu-
 pidine ducti, sed heu ludimur! Facinus tamen
 conscivimus, quod omnes humanitatis leges ve-
 rant: Tu ergo tanti piaculi victima esto, atque
 id unus omnium vice morte expia. Gloriam in-
 genti ducas cum Waldsteinio duce, si non mori,
 iacere. Et cum dicto saxum sepulcrale loco resti-
 tuunt, hominemque nequicquam vociferan-
 tem, Deos deasque inclamantem operiunt. Ce-
 deres, renovata Mezentiana crudelitate, homi-
 nem vivum cadaveri arcte innexum, horren-
 dum plane leti genus cum mortuali tabo in

viscera trahere. Tu vero nunc cogita, quae illic rusticus, vivo iam cadaveri meus fuerit, quis horror, sensus animum pectusque tenuerit, quam tristis lithi imago sepulto priusquam mortuo obversata fuerit. Totus, ut reor, mortuali sudore gelidos per artus manante, maduit, mortemque, vitae desperatissimus in momenta singula, pavidus, trepidus, anxius, expectavit, aut etiam excepit, toties mortuus, quoties se in faucibus mortis versari conspiceret. Forte illud Davidicum versabat animo. Posuerunt me in lacu inferiori in tenebrosis et in umbra mortis. Factus sum sicut homo, sine adiutorio inter mortuos vivens. Circumdederunt me dolores mortis et pericula inferni circumdederunt me. At boni milites, ceu ludum lusissent, in risus iocosque soluti, requiem aeternam, mollemque humum contumulato agricolae precati, conscensis equis recedunt. Vix abierant, alia vis e caesareis copiis turma fit obvia, ac more militiae sat in salvae periscitata, quid egissent? Hostemne alicubi conspexissent? percontantur. Ductor horum praesente ingenio, fa-

vente Mercurio rem in fabulam sane rustico salu-
tarem, colludente pariter divina mire suaviterque
providentia, convertit. Et Wälsteinium inquit, pe-
cuniarum illum, ut nostis, praedivitemque ducem,
quocum ingentes thesauros fuisse defossos accepimus,
invisere conati, eos, ut mortuo homini nihil profi-
cuos, inde tollere, atque in militiae usus vertere co-
gitavimus. At heu, quam multa intersunt inter
os et offam! Vix opus aggressis nunciat excubitor
hostes magno adesse numero, nec procul inde visi,
de pugna ergo aut fuga cogitandum, non luctan-
dum cum laevo.

Ergo nos ut longe impares ni in praesens dis-
crimen ultro rueri vellemus, quod supererat, con-
sensis equis viam relegimus, tristes oppido, ma-
leque a fortuna mulctati. Sed bonum factum. In
amicos incidimus, quibus hanc, ut opinor, supe-
ri praedam adixeret. Agite, commilitones, in hos-
tem ite, pares animis, pares imo superioribus
viribus, eoque depulso ac sublatis thesauris, velut
gemina victoria coronati spoliis graves ad nos redi-
te. O quod sociis esse non liceat! Definitum a

tribunis tempus iam in decursu est: periclitamur
si longius absumus, ne lege in nos agatur. His
auditis seu oestro perciti illi subditis equis cal-
caribus, in coenobium provolant, circumspectis-
que omnibus, cum nihil hostium deprehenderent,
abiisse existimant, tantoque solutione iam animo,
una cura defuncti, Waldsteinianis thesauris inhiant.

Conceptaeque natant dentes dulcedine praedae. Ad sunt
onciti, saxum amoluntur, descensum parant, ohe, sisti-
te boni! Difficile opus agitur, non ita primum est sa-
xis Plutoni potiri gasis. Averca mala Hesperidum hostis,
aut velle Colchicum cogitate, incustoditae non sunt,
ad sunt vis excubitores aut incubitores (ut vulgus putat)
venii. Haec dum fiunt, rucicula semianimis, exanguis,
larva buxo pallidior, in morte iam natantes attollit ocu-
los, atque e terra, quantum emortuae, quibus vix hae-
mina vitae supererat, sinebant vires, se sublevat, pa-
ratque superas redire sub auras. Hunc ubi moveri pri-
mum, mox pedibus consistere, iamque progredi etiam vi-
lent milites, enimvero omnibus artibus intremiscunt,
stat, pilus cunctisque frigidus horror men-
bra quatit, gelidusque coit formidine sanguis. Sic paridi

trepidique, Haldsteini manes ad sua tuenda consurgere
 rati, qua data porta ruunt diffugiuntque omnes, conscen-
 sis per summam animorum ac ordinis confusionem tre-
 pida equis, iter ceu attoniti aut fulguriti relegunt, ut
 melius noverint qua venissent, quam qua abierint.
 At heus tu bone ruricola e mortuis hominibus, auris-
 que vitalibus reddite, salve! Abit ille tacitus plurimo-
 rum votorum reus, iterum se natum existimans: indi-
 gnus certe vita, si non vivere didicit, qui mortuissimus
 ut sic dicam, inter mortuos vixit. Hoc ut a viro illus-
 trissimo e primis Bohemiae summatis, qui id ab
 ipsis militibus accepisse videtur, narratum saepius fu-
 it, retulimus.

Spectatum admissi, risum teneatis amici.

Alterum a viro sane gravi et dignitate ornato, qui id
 aliunde ab homine fidei non dubiae hauserat, acceptum
 refero. Merx est, quam ut vaenit, vaenum exponimus;
 nec eam ullius fide licemus, quam totam penes au-
 thores esse volumus. Dum hic depositus in sua crypta
 iacet Haldsteinius, visi sunt non nunquam circum
 sepulturae locum, quibus videre datum, candidati
 iuvenes, corusco vultu, crispa aurataque caesarie

humano quid magis verendum toto habitu oreque
toto praeferentes. Neve amicis parum tutam fidem
oculis inesse putet: Ipsi Sueci milites, dum aperta
desertaque domo, uno fors alterove custode anguli cu-
iuspiam coecis recessibus delitescente, hac illacque
permeant, saepe rogitare, qui nam illi sint, coe-
lesti quodam colore ora picti, maiestate omnem mor-
taliū splendorem supergressi iuvenes, qui eo loco,
quo cum aliis conditus iacet Waldsteinius, gravi na-
turoque gradu obambulant. Et inde fortasse ea Sue-
cos incessit Waldsteinii veneratio, ut articulos ma-
uum desectos secum abstulerint (quod et magno illi
heroi Turcarum, ni fata invidissent certo exitio, Ge-
orgio Castricato seu Scanderbego usu venit) rati, si
ea e collo pendula gestavissent ferro impervios se fo-
re, aut fortitudinis fortunaque ipsius insigne incre-
mentum sibi haec lypsana datura. Usque adeo virtus
suecicum sui ubique invenit, semper ei comes est,
etiam apud improbos, veneratio. Quotquot haec in-
solita spectacula oculis usurpavere, non dubitave-
unt asserere, caelestes genios fuisse. Fuisse demum quid
etiam? Certum enim est omniumque aetatum historiis

testatum, spiritus beatos ad ea corpora, quae olim magnae
 animae habitavere, eisque velut palaestra praeclarissi-
 morum facinorum fuerunt, libenter visi. At hoc loci
 tria erant. Lucretiae nimirum Waldsteinii coniugis
 seminae sane piæ; tenelli infantis Alberti filii, ipsi-
 usque adeo ducis Waldsteinii. Cuius ergo gratia hic ade-
 rant, cuius eum honorem habuerant hi genii? An
 omnibus? Nil definitio. Deo scientiarum domino soli
 id notum. Forte nodum expediet id, quod sequitur.
 Misæ a nece biennio solido cum quattuor mensibus
 iacuerat cadaver Waldsteinii. Observatum illic a quam
 plurimis similia ostenta, his nostratibus proavis ge-
 nella, adolescentes videlicet albatos, nitidulos, crispu-
 os, venustulos, delicias divum, splendores caeli toto
 re fulgurantes, qualibus figuris non pingi fingi ve-
 antum, sed et visi consuevere coeletes genii, visos sae-
 penumeros circa eam infeliciter partam, ut diximus
 nte, e tabulis, ut obvenerant, forte fimo substerni-
 culis, lypsanothecam.

At ohe! ais lector; ita ne tu Waldsteinio illi de-
 antatis toto orbe palmarissimis facinoribus im-
 mortuo apotheosim decernis? Forte illum heroem

tuum, in Deos aut semideos, subselliaque divum re-
 latum velis, quem orbis damnat, cuius sanguine com-
 mune bonum emptum est, cuius morte Austriadum
 vivit sanguis? Minime gentium. Non ita insanio,
 ut haec ausim. Domino suo stat aut cadit Waldstei-
 nius. Nunc ego et ex fide ea, quae testata accepi, re-
 fero, neque his narratis communi fama maiorem
 eximiumve volumus Waldsteinium, aut nobis assu-
 mere in causa laborante orbis praevudiciis arbitri-
 um. Feremus facile, si quis damnato Waldsteinio,
 etiam haec narrata damnet.

Numerus 5. tus.

Philippi Buseckij primi prioris Cartusiae Waldi-
 censis obitus.

Cadaver Waldsteinii seu mortalitatis monitor, seu
 nuncius brevi secuturae mortis Philippo priori fuit.
 Honorationum in conclavia plerumque non irrum-
 pit aulica mors, nisi admissionem vel oret praesagio,
 vel adventum nuncio praeveniat. Ex immodico fructu-
 um mollitorum dulcissimorum cerasorum em, quo-
 rum gustus per immoderatas gulas illapsus, appeten-
 tiae vim ipsa copia exacuit correptus alii huc fa-

malus, in plures malum fere irremediabile vulgavit. Ei dum aegro assidet Philippus, ad christianam patientiam, fortemque si res quae ferat, e vita excessum animat, medicam cum salutari doctrina manum subinde admovet, rem salutemque protimi incurius aut profusus mae sollicitus curat, eodem et ipse contagio affectus, saevo pertinacique affluvio corripitur. Nihil Paeonia Machaoniae ars potuit, in pervicax tantillum cedere nedum edomari malum: vi morbi omnis medicina succubuit. Nimirum imperium iam in viscera nacta mors vitae adiumenta medicinas valere noluit, illud suum imperiosum canens:

Contra vim mortis non est medicamen in hortis.

Paruit itaque imperatrici tantae, aequo pede pulsanti regum turres et pauperum tabernas, stementique omnia morti Philippus. Omnibus sacramentis rite procuratis, tertio ab adrecto huc cadavere Waldesteinii mense, decimo videlicet Septembris anno 1636. decurso mortalitatis stadio, metas, ad quas per varios casus per mille discrimina, recta semper totius curriculum vitae direxerat, tandem tenuit, braviumque supernae vocationis quam praeclarissimis factis certam efficere

contendebat, apprehendit.

Nobili apud Francos parentibus tamen heterodoxis loco natus est. Herbipoli Francorum apud avunculum meliorem viam edoctus, in castra Romana a desertore Calvino aut Luthero transit. Crescente cum fidei lumine pietate amoreque in Deum statuit arctam abnegationis mundi sui que, et quicquid rei speique usquam affulgere potuit, viam ingredi, quod et favente coelo aggressus, adolescens Buxiae Cartusianum institutum complexus est. Jamque in loco pascuae coelestis locatus. Caput illud, quo ^{est} Carmelo sponsa aequat Christum videlicet, qui pinguis amoenissimusque mons est, laetissimumque ovibus suis pabulum prabet, ascendere nitentur, totumque eius succum in se transfundere suctu. Quod nim pinguis aut laetius esurienti animae pabulum esse possit, quam studiosa vitae ac doctrinarum salvatoris contemplatio? In hoc igitur pinguis et amoenissimo monte ovis nostra pascebatur, adlescebat, pinguescebat, atque in maiorem capacitatem dilatabatur, eosque in virtute faciebat progressus, ut et aliorum ei cura iam credi posset. Inde Herbipoli procuratoris officio summa cum laude perfunctus

tandem in Austriacam provinciam devenit atque in Waldiciana nova plantatione, primum rector dein pri-
 mus prior, varia fortuna pace belloque domum hanc
 summa vigilantha industriæque rexit. Pietate in deum,
 morum suavitate et innocentia, virtutumque in com-
 posito animo ridulantium unguentis odoribusque,
 cum occulto quodam magnetismo omnium ad se ani-
 mos Waldsteinique ipsius attrahebat. Severo illi emun-
 ctæ aëo naris cerebrique viro, plusquam censorio Catoni,
 Lydio Heracliove lapide prolactatæ animæ non tamen
 iniquæ æst. matrici placuisse, magnum virtutis testi-
 monium censeri poterat. Tam certe hic vir æstima-
 tionem, venerationem et observantiam in Waldstei-
 ni animo obtinuit, ut blandiloquia illa suavissi-
 ma, modestissimorum ac virtutum charites spiranti-
 um morum suada, nihil non posse apud eum vide-
 retur. Perierat hæc Waldiciana plantatio, ni Fabius
 hic sapientissima cunctatione per se, perque amicos ef-
 fecisset, ut [repudio cresceret] largius irroraretur Rho-
 dio imbri a Waldsteinio, pulchraq. arte effecisset, ut re-
 pudio cresceret Cartusianorum desiderium ac deinceps
 cogitationem vel antecederet liberalitas, vel superaret.

Partum ergo et incunabula sua debet huic viro haec domus, cui si meliora fata obstetricata fuissent, et adolescentiam debuisset. Sed ei nimirum hic meta rerum fuit. Ceterum ipse quicquid a curis laboribusque otii suffurari potuit, totum id seriois negotiis atque uni potissimum necessario salutis suae suorumque pietatis operibus, rerum sacrarum lectioni ac meditationi dicabat, recondabatque in scrinio pectoris nunquam non veteribus nova adiciens, quod subinde bonus dispensator condus promusque de thesauro suo ad suos proferret. Quin et ipse Albertus princeps sermonibus eius mirifice capi, deque rebus divinis disserentem pronissima aure audire, atque ad eius leges ac monita componi videbatur, quod et supra attingimus.

Magnanimitate, quae in humili pectore secus quam multi opinantur, sedem proprie fixit, fortunae bonae copax, malae patiens, et laetis et turbidis rebus ex aequo suus, nec efferi nec deici unquam visus est. Non est, ait Seneca, quod dubites an attollere se homo natus supra humana possit, an dolores, damna ulcerationes, vulnere, magnos motus rerum circa se fermentum securus excipiat, et dura placide ferat, et secunda

moderate, nec illis cedens nec his fretus: unus idemque inter diversa sit, nec quicquam suum nisi se putet esse, ea quoque parte, qua melior est.

Magnam Stoaë asceticæ in eo partem sapientiæ ponebat Philipus noster, ex provida numinis ordinatione eunti rerum ordini coaptare animum, nec ea optima putare, quæ fieri vellet, sed quæ fiunt. Magnum tu mihi illud pectus, mentem illam aestima, quæ ita legibus providentiæ sese attemperat, ut quicquid inde emissum fuerit, suda planaque fronte excipiat, lætis ac tristibus aequè se præbens, non suffugitabunde horum, non illorum appetens, malit evenire, quæ illi volita fuerint quam sibi. Si perfectionis aperest iungi Deo, qui idem cum eo voluit, punctum tulit. Hic vere amantum, hic Deo adhaerentium geminus character est.

Suos ita rexit, ut ad perfectionem religiosam eurrentibus non calcari bus sed frenis lupatisque opus esset prorsusque severi etiam visitorum edicto coerceri deberent, ne quod sapiens monet, multum sancti fieri volentes obstupescerent. Arceri non nullibi gentium iumenta solent, ne avido ac intemperanti pinguium

prosequorum carptu distenta inmodice albo crepent, quod
 et nostris nimia solitudinis dulcedine captis factum.
 Sed verba visitatorum audiamus: Invenimus, aiunt, cum
 priore quinque viros, seria aetate et moribus provecos, qui
 iussi sunt adhuc ob varia domus impedimenta a noctur-
 nis excubiis abstinere, et nimiam ac pertinacem soli-
 tudinis ac silentii (quae nimium zelantur) observan-
 tiam sancta discretionem temperare. Eam^{quam?} vero arcto ne-
 ceu charitatis cum capite membra seu unguentum
 in capite, quod descendit in barbam barbam Aaron,
 et inter se mutuo cohaeserint his testantur. Hos
 omnes ad invicem, ut et ad V. P. priorem mutuis
 charitatis et pacis nexibus conglutinatos summa cum
 voluptate vidimus et ad perseverantiam anima-
 imus. Haec illi.

Quam nave putas accubuisse in pectore illo
 Deum pacis et dilectionis, cui Pax et Amor lectulum
 illum floridum fructibus spiritus instratum com-
 pomere? An tu filias abfuisse ab ea domo putes,

in qua blandae hae matres consistere? Sequitur hos ven-
tres omnis virtutum partus: nec alio quam charitatis pa-
cisque ubere pasci vult tota virtutum proles.

In rebus gerendis, prudentia solertiaque experientiae
iuncta singulari fuit. Hieroglyphicum providentiae vi-
dimus nonnunquam oculo animatam manum, eam
certe Philippus habuit: sic, ut quicquid aggressa esset
manus, eo etiam oculus providentiae, vel iam prae-
cesserit, vel una ierit, unde cuncta fere ei ex desti-
nato cessere, raro frustrata oculos illum, nihil non
optimo fini destinantem.

Si pars imoniam, sobrietatem, si continentiam,
si legum Cartusianarum, si magistratum eius dicto-
rum nutumque observantiam, si caeteras virtutes,
quae in eo viro, ut speculo recepti solis radii quoque,
versus se in immensum explicuere, laudare pergam,
nimis fuero. In compendium omnia contraho, cum
virum virtutis nomino. In quo virtus domicilium ha-
bit, optimus fuit. Quem porro dicas eum, quem illa su-
um fecit, adeoque in se transtulit, ut quantum in eo
esset viri, tantum esset virtutis? Illa vero bonorum
omnium apex tota aeternitate perennatura charitas quin

ne me memoretur non committam. Putas cum os
 sonans aut cymbalum timiens, verbis largum, angu-
 stum manu, arctum opere fuisse? liberaliter falleris.
 Amabat omnes tenere et amabatur ab omnibus ut pater
 daturus facile etiam cordis pulpam, eam oranti. Dulce
 illi erat praevenire, quod peti a quoquam posset.

Bis est gratum opus ultro si quod offeras.

Et praeter hoc redimebat verecundiam petentium, non
 nescius corrumpi beneficii florem qui rubore petentis tin-
 ctus sit. Parum benevoli animi est iudicium, nihil ni-
 si rogatum dare. Nemo illic querulus, tristis, nemo, aut
 turbidus, sed serenus veniensque, tantum quisque de
 sole suo, aequè omnibus salente, capiebat calor, lucis,
 amorisque quantum vellet, quantum opus esset. Verba
 cum dabat, charites fuere, mella ac ambrosiae, quas
 mellea apis charitas semper dulcorabat, condiebat amor,
 suavitas temperabat. Non illi erat vox aspera, non vul-
 tus minax non fellens oculus, non in nubes collecta
 frons non fulminatrix oratio, sed blandiloqua, sed be-
 nigna, sed unguentata ac oleo mollior. Nec vero existi-
 mes velim suavitati fortitudinem, dulcedini acu-
 leum defuisse, habent opes, quo unguunt, et pungunt.

Et mel aliouin iucundum ac dulce, viscerum ulcera dum morricat, rositatque repurgat.

Guaritas praesidium peccatis imminet, salutari ac medica morsione ulcero purgans sanansque. Verba namque sapientium sicut stimuli et sicut clavi in altum defixi. Credas velim maximam inesse vim ad obtinendum quod volueris facili ac blando imperio, neque ulla re potentius duci ad obsequendum animos quam si is, qui iubet, hominem non excessit.

Spage mihi despotas illos, illos imperiosos Manlios, severos Catones, tonantesque Ioves ac illos

Qui more Bruti, quod volunt, valde volunt.

Qui dicta sua edicta, verba oracula nutus imperia haberi cupiunt. Qui nihil sibi adgeniculat suum arbitrantur, quod non minaci imperio concusserint, pulchrius rati a timentibus extorqueri obsequium quam ab amanti-bus deferri. O quam nescii tantum sibi odiorum accessere, quantum aliis timoris incusserint! Pessimus semper fuit obsequii custos timor. Necessse est multos timeat, quem multi timent. Nemo non libenter excutit se ab eo, quo premitur. Lene fit etiam magnum onus modesto impositum imperio. Nihil

non blanditur & durissimis etiam ingenio dulce praeceptum. Flectere quos lenibus potes, duris franges. Nullius inerti duris incessurum ac mole impacti diuturnus aut efficax est impetus. Omnium corda animosque in suam habet, cuius molle suaveque est imperium. Praedurum est vivere sub homine, qui suorum gratiae nihil tribuit, totum suae: qui cogitat non quid aliis ipse debeat, sed quid sibi debeatur.

Illos quoque, quis ferat, qui in alias potestatem nacti, nescio quos spiritus fumosa nare, maiestatemque quandam spirant, adire difficiliorem cortinis Delphicis, nec nisi a submissa cervice cernuis qui homine maiores cultus, diis pares, lateque spirantes titulos et ampullata nomina expetunt, ut Deum iam facilius appelles quam istos? Et dii equidem sunt; et ut tales coli observarique oportere a subiectis, certum est: negamus tamen haec ab iis recte expeti. Honorat, docet, clamat aeterna sapientia, per sapientem quanto maiores, humilia te in omnibus rectorem te poverunt? Noli extolli! Esto quasi unus ex illis. Nihil magnum est, nisi quod simul et placidum est ait Romanus sapiens. Multum interesse vias inter sublimem

animum et elatum. Probe haec praecepta spiritus divini assecutus Philippus noster, unice moribus et factis ea exprimere studuit, factus infirmis tanquam infirmus; omnibus omnia factus nihil usquam parentis optimi, nihil praesidis suavissimi, in se desiderari passus, desiderio omnium, omnium amoribus amatus, amantissimus omnium pater. Germana nota sinceri geminique Christi discipuli charitate insignitus, coelo, ut speramus, illatus est. Corpus eius lacrimis pluribus quam aquis ablutum curatumque luctu omnium ac comploratione eo loci, ubi nunc ara princeps consistit, tumulatum est.

Caput II^{um}.

Synopsis hoc capite contentorum. Successor Philippi P. Bruno Lignanus. Catalogus miseri status Cartusiae. Successus caesareanorum contra hostes anno 1637. Mors Ferdinandi II^{di} imperatoris fundatoris. Mors P. Brunonis Lignani prioris.

Numerus 1^{mus}.

P. Bruno Lignanus Philippo in prioratu successit.
Suffectus est in regimine Philippo priori P. Bruno

Lignanus, e primis olim Itipae atque Radimianae residentiae incolis, quem carcer Olomucensis, ut parte secunda memoravimus, cum aliis duobus eiusdem fortunae sociis totis quinque hebdomadis tenuit. Vir grandaevis et in confiniis fatis.

Ad hoc tantum erectus videri potuit, ut qui in portu vixit, in freto moreretur, quique per tranquillam aetatem traxerat, fluctibus tumularetur. E Brunensi asceterio huc vocatus a P. Christoforo Tripodio Brunensi priore convisitatoe provinciae atque Antonio Obereckero priore Agropacensi rebus sane accisis maleque sortis praepositus est. Placuit ea visitatione ordinaria coram inspici, neque enim ea, quae per aures illabantur eam fidem obtinent, quam ea, quae oculis ipsis inspecta sunt. Nec alio stimulo facilius elicitur commiseratio, quam miseriarum aspectu. Videre in sane et ingenuere tam floridis ante rebus tantam repente vastitatem invectam. Est in manibus status Cartusiae in Waldiez, a supra nominatis patribus oculis inspectus, et descriptus eidemque priori ibidem instituto consignatus. Placet hic tibi ea admittiri, velut imaginem temporum sequentium quam diu bello in Germania certatum saevitumque est.

Pecuniae paratae reperti sunt 524 fl. E contra debet domus variis nominibus creditoribus 3903 fl. Frumenti in granario ac horreis nec dum triturati exigua provisio. Pro braxatorio annona enim debent tritici 310 modii hordei 180.

Etsi habeat monasterium septem praedia, tamen unicuique solum convenienter pecoribus provisum pro hoc tempore et seminatum. Reliqua vix quidquam, tria praeter noctuas forte, nihil habent.

Vaccas, vituli, boves modo reperiuntur in universum 66. olim erant 202.

Equi et equae modo 22 olim 58, oves 26, olim 300.

In praedia destructa, ut aedificia reparentur insumi debent ad 2000 fl. ut replantur pecore et pecudibus 4000 fl. Ex agris praediorum incultis, non seminatis per tres annos (unde tamen proventus potiores obveniunt) lucrum nullum. Quin pro conventu, familia, braxatorio frumenta enim debuerunt. Quod futuro anno expectandum exiguum erit.

Ex granariis violenter sublata ultra duo millia modiorum maioris mensurae Bohemicae faciunt ad minus 400 fl.

Data pro contributione in milites tantundem 4000 fl.

Pagi monasterii ita exhausti, ut media pars subdito-
rum vix remaneat, unde census frumentarii, pecuni-
arii, et quae illis mutuo data pro perditis habenda ad
10.000 fl.

In monasterio dirutae fenestrae omnes ad unum us-
que orbiculum, vel confractae, vel sublatae, ianuae, men-
sae, lecti, fornaces dirictae. Crates ferreae et serae vio-
lenter abstractae, reparari non possunt 5000 fl.

Libri, ecclesiae paramenta, imagines, vina et omnimo-
da suppellex domestica direpta ablataque est.

Ecclesia nondum aedificata. Pars claustrum media non-
dum extracta, paramenta nulla, bibliotheca nulla.

Pro aedificandis his requiruntur ad 50.000 fl.

En, ut repetiosam tibi lasram adduximus. Ovidianae
forte famis sororem, quam dum aspicias belli filiam me-
nime bellam cogita: pacem ora et fove.

Numerus 2.

Felices caesarianorum contra hostes progressus.

Cum Romano sapiente clamo: Vitae quaecunque
vulgo placent, quae casus attribuit. Ad omne fortui-
tum bonum suspiciosi pavidique subsistite, vel ipsas

vestras victorias fortunamque timete, duces.

Munera ista eius putatis? Insidia sunt. Fortuna cum blanditur captatum venit. Non est tuum fortuna, quod fecit tuum. Dari bonum, quod potuit auferri potest. Fortuna vitrea est, cum splendet, frangitur, ait Mimius.

Nec alibi tam vitrea, tam fragilis, quantum vis radiet victoriis, quam in bello. Bellatum hactenus a caesareis ducibus feliciter inque ipsum Balthici maris angulum compulso hostis, tam contemptum habitus est, ut per concreta glacie naturae claustra in ipsis maris finibus Rugia videlicet insula quaereretur.

Inimicum quamvis humilem docti est metuere. Nunquam tuto contemnitur parvus, etiam hostis. Agri res feliciter potuit ad urbium trium moenia, quae sola hosti e praeepto iam cogitatione Germaniae dominio restiterant. Cum omnia, quae modum excesserint noceant, periculosissima felicitatis intemperantia est, ait Seneca. Suebat secundo curru hactenus omnia; sed iterum clamo. Fortuna vitrea est. Experiemini non longe post fragilem. Quae anno isto hoc pro vobis stat, altero reflantibus velis adversum vos stabit, nunc amica, mox cum armata in vos hostili acie hosti

Fortuna levis est, cito reposcit, quod dedit. Quos exaltavit, fugit, ut, quos depresserat, exaltet.

Stabat ea pulchre pro caesare, pro imperio, pro re-
publica catholica, sed vulgata orbis mala, publici iuris
nefas, profanarum legum commixtio, sacrarum con-
temptus, Dei divinorumque iniuriae, valide ei pedes suc-
cussere, sic ut ad hostes devoluta, semper fere donec bella-
tum est ab eis publice pertinaciterque steterit. Sed haec po-
stea obiter pro more nostro memorabimus, nec alia de
causa, quam quod privata quoque a publicis seu bonis
seu malis pendeant.

Numerus 3^{us}.

Ferdinandi secundi imperatoris fundatoris
huius Cartusiae obitus.

Nescio an plus caelo gaudii an terris luctus peperit
mors Ferdinandi II. augusti caesarum caesaris, bello pa-
ceque maximi, pii, felicitis, et quod veterum nemo audit,
sancti id est vitae ad virtutis et sanctimoniae leges
exactae.

Quid ni gauderet coelum tandem eo inferri gem-
mam videns, quam dudum splendoribus sanctorum
ardentem terris inviderat? Quid ni lugeret terrarum

20.

orbis, dum tanto se spoliari bono, ac orbari lumine videns in tetrum Chaos permiscentibus omnia aeris potestatibus rediturum merito pertimescit? Quid in atro involutus squalidus, luridus tetricus appareat, mundus in supremo solis sui deliquio tristi, ac nunquam ortum revertere occubitu? Quod enim sol coelo, hoc terris fuit Ferdinandus. Gemunt, squalent, tristantur omnia, non status, non aetas, non ordo, non conditio illa mortalium est, cui non propriam in dolorem, luctumque materiem propria jactura sufficiat. Religio elyseo, propugnator, patrono destituitur, res publica principe, atlante, patriae patre, orbis sole, pietas prodigio, virtus speculo, sanctitas exemplo. In nos uoque publici istius vulneris sensus diffusus est, qui patre, patrono, tutore fundatore orbamur. Nefas ergo fuit publico in luctu dolori non litasse, et quatenus datum, devotissimos eius maiestati pupillos lacrimis fundatori optimo parentasse. Paragat orbis excitis in encomia disertissimis mortalium, qua sincerus, qua paganus, qua heterodoxus est panegyres, excurrant in laudes virtutum eius stupfactae nationes. Alii epigraphes, epitaphia divo Augusto coactis in litterarum elementa astris in coronas verborum flavissis

struant, componantque imperatori coeloque inserant divum
~~post~~ busta indigetum. Nos mausolaeum grandi fortasse ausu,
 tantorum manuum cineri nobis struendum sumpsimus
 et aeternae monumentum gratitudinis, memoriae aeterna-
 turae aras, ad quas in dies singulos, pax aeternaeque re-
 quies Ferdinando, vita, felicitas, angustis posteris, illa cum
 clamore valido melius sanguine Abel perorante agni occisi
 ab origine mundi hostia oratur. Non igitur Graecii in Sty-
 ria sepultos magni Ferdinandi, magni Herculis monstro-
 rum centipitium et serpentinae haereseon aio de bellato-
 ris exuvias Nemeae silva propaginis, sed cum in cordis
 formam e porphyrite ac Pario mure candido rubeum Au-
 striaco, e primis unionibus, unioni caesarum, ex adaman-
 te fortissimo statore, inter assilenti malorum undique
 agmina, e pyrite carbunculo ardentissimo fidei zelatori,
 e beryllo mundi desiderio, e sapphyro coeli delicio, ex
 amethysto virtutum omnium radiantis virtutis mira-
 culo, effigiatum mausolaeum videris Halldicii conditas
 existima.

Sic omnium corda cum in gemmas abissent, in
 unum coalescere, ut te capiant, Ferdinande, atque me-
 lius in eis, seu vivas, seu sepeharis, quam mausoli

cineres in Artemisiae pectore. Habeant alii cortium,
 quod testamento vis dederas, nobis satis est; si tu nostra ha-
 beas, si te habeant nostra, patrem, patronum, tutorem, fun-
 datorem. Universum apparatus nostrum sic instrui-
 mus, ut cum mortuus sis vivere videri debeas, in omni-
 um, quod hic nunc in aere tuo sumus, quot post vi-
 tui sunt, cordibus. Ita tibi tua haec domus mauso-
 laeum struxit, non mortis, sed vitae, non mortuo, sed
 victuro. In bilance coronatum cor ait in hieroglyphi-
 cis. Barius se vidisse, cum epigraphe MULTO MA-
 GIS ad te ponderat. Plus ponderabant haec corda, quo tu
 coronatus, rex, caesar, coelique princeps subiisti, ut iam
 hoc vel a pondere semper inclinatura sint in venera-
 tionem Ferdinandorum, Leopoldorum, magnorum Austri-
 adum, magnorum caesarum, regum, magni parentis
 magnorum nepotum, haeredumque pietatis. Prodigii-
 osum illud Alexandri Macedonis felicitatis prodigii,
 lapidem (de quo Paulinus), qui pondere suo omnia
 vicit, aspersus cinere modico a culmo paleaque vin-
 cebatur, hoc mausolaeum nostrum prodigosius est,
 quia inane tui leve, cessurumque stipulis, respersum
 Augusto cinere tuo grave nullique facile cessurum

evarit, non suo, sed tui cineris pondere.

Numerus 4.

Compendio virtutes Ferdinandi II. fundatoris
hujus Cartusiae aliquot delibantur.

Sed ne parum gratos mundus nos indicet, si nihil
pro tenui capite nostro, e tanto mirorum Ferdinandi
Oceano hauriamus, quod post orbis linguas eius in-
pensas encomiis in elogium assumamus. Paucissi-
mis reverent. velut osculo eius virtutes libabimus,
summaeque solum rademus. Nam fundum illum, alta-
que coronati cordis adire nulli opinor datum, nisi
soli illi, in cuius manu regium, redimitum, dia-
dematumque cor istud fuerat. Eodem zelo eius tuendae
proferendaeque metiri licet. Magna ardens, vivaque fuit,
quae tantum ut se propagaret, laboravit. Centies centena
milia Christo, vero pastori asseruisse existimatus est. Spes
crucifixo affixa anchora in salo rerum ancipitium
Ferdinando fuit. Qui credere bene scivit, bene alios do-
cuit, ab amore suo crucifixo bene sperare in usus e-
rexit se, stetitque omnibus procellis et conjuratis in-
-exitum adversorum fretis Sciphia rupe immobilior.

Charitas in Deum et in flammae modum se extulit, ut dilecto Deo: mallet emori, quam offenso vivere, gloriam eius propagare saetura sua ad manticam redigi, Divini honoris auctu. In proximum et inimicos etiam complecteretur, nolletque vel inimicissimo fieri, quod nollet sibi. Rectitudo sinceritasque mentis ad omniem divinarum legum exacta, nullo politico astu vitata, Machiavellistica arte distorta, nulla fraude suffarta, tenorem recti veri iustique semper eundem tenuit. Labi errareque non potuit, qui tam plano, tam terso itinere incessit. Devotionis pietatisque lampas purissimo oleo ardens lucensque ne asbestus dicam, fuit. Magnam Dei matrem purissimo cultu suam, se eius delicias fecit. Haec illi amorum auspicialis Bellona, haec archistratega, haec imperatrix, haec dux, victrixque fuit. Caesar venit, vidit, Jesus et Maria vicit. Magnus quisquam exercitus, ductor, unam ad pulveraria divum supplicationem Ferdinandi, unas divarum invocatorias lytanias pluvius decem millibus militum fecit. Vincere proculdubio nullus Josue potuit, ubi hic Moses manibus in coelum tensis Deum exercituum divorumque legiones. in auxilia excitavit. Despicentia sui et humili de se deque factis suis sensu principum orbis

apex. Maximus minimusque tantaque cedrus myrica, aut
 serpens humi viola fuit. Illud, si quid, quod gloriam ole-
 ret, afferetur Davidicum sublime humili animo meditando,
 ludam et vilior fiam et ero humilis in oculis meis. Propter
 quod et Deus exaltavit eum, et dedit illi nomen supra
 nomen magnorum, qui sunt in terra, ut parem gloria
 rebusque gestis saecula non viderint. Quam altus esset,
 mons Ferdinandi apparere non potuit, nisi ab altitu-
 dine imae depressaeque vallis. Honores plaususque pompa-
 rum theatrales ludos ac scenas personarum aciebat eo
 tantum discrimine, quod reges caesaresque complures annos
 personam luderent, illi horas; Qui in mortem, quae persona
 reteggit, larvam detrahit, respicit, facile honores, ludos,
 pompam, bullas, gloriam ventos, auram, vastam inane,
 diademata superbosque cinctus umbram somniatasque
 Nabuchodonosori statuas regna et imperia putat. Inforti-
 ficatione sui alter Theodosius fuit Ferdinandus, pulcherri-
 mum ratus ordiri ab sui imperio in populos imperia.
 Cum oculis Hussaei principis foedus renovavit, iussit-
 que intra orbitas volvi, non ferri per incerta Phaëton-
 tao in lapsum cursu. Omnia vicit, qui se. Signum tu
 illum Imperio orbis existima, qui se in potestate habuit.

Generoso sui odio carnem flagellis, horrida seti veste, ferrato cinctu, jejuniis, somni parsimonia atterebat. Male creduntur gentium habenae infraeni, in quem quicquid libuerit, cupiditatibus licet.

Pacientia, constantia, fortitudineque animi inter tot, quae in eum invicem se prementia incubuere adversa, prosus palmea, adamantina Caucasea fuit.

Nihil in eum potuere catervatim irruentia seque decumantim infidentia mala. Lucere per thoracis orbillos insultavereque angusto ori coniuvari hostes. Tremebat Viennae intra moenia seditiosa haeresis aut necem illatura caesari, aut sibi libertatem secutae noxia fidei sacrorumque procuratrix. In manibus caedem intentanturum stat in fractus caesar atque ut staret firmior ad crucifixi pedes provolvitur, certus immotum se perstiturum, ab hoc casu. Erectus in spem a crucifixo Ferdinandus stetit princeps quavis caute firmior, cedere, molliri, frangi nescius, ut quotquot unquam ab hinc in eum assiliere allisereque vim suam tumidi fluctus, elisi fractique cesserint. Mansuetudine animi tranquillitaque prosus caesarea (tranquillissimi olim dicti sunt caesares) Olympus fuit. Quicquid turbarum, tempestatum, ventorum, procellarum

nubes excussere, totum infra Ferdinandum fremist, vertice illam animi, qui nubila exesit, non attingere turbida, quae animoso calce pressit, securus risit, contempnit.

Clementia ac liberalitate divina fuit. Nihil aequo Deo principes aequat, ac fusus latissime profusus sui suorumque animus. Bona haec, quae circum eum fluxere, tum minime fluxa putavit, cum fluunt ea, ne diffuerent, fluere semper voluit, et irrigare sitiētium domos. Oceanum habere. Orbis principes esse facto docuit Ferdinandus, in quem ideo omnia influunt, ut iterum fluant. In nos etiam affluvio suo exundavit hic Oceanus. Quod pane vitae ex divinis aris hic vescimur, hoc mortuus Ferdinandus affecit. Caduca pendentiaque et indubie procubitura quandoque bona huius Cartusiae, ipse evictionis in se posterisque translatae fabricae suffulcit. Gravata viginti millibus fl. Peczka soluta ipse summa liberam onere fecit. Octodecim millia ex Arnovicensi Dynastia et alios ahibi census ad usque 100^m summam in fabricam Cartusiae aedisque potissimum sacrae addidit.

Orbae huic domui, nec facile in adulescentes annos progressurae nisi tali patre, se patrem non permanurae

missi tali fundatore, se fundatorem fecit, tot nominibus,
quot beneficiis sibi nos seque nobis debet. Verbo sol omni-
bus cabens lucensque fuit Ferdinandus, nec est inveniri
facilis, qui se absconderit a calore eius.

Iustitiae misericordiam discors fere genus, nequ' artissi-
mo maritavit, nec misericordiam et iudicium cantabat
semper Domino, sed illam saepe superes altabat iudicio.
Sed quid ego pumilio tantum giganteum in tabellam
cogo? Negotium seculis et seculorum linguis styisque fa-
cessivite, ingens virtutum Ferdinandi Chorus, quarum
rebus adumbrandae nulli Apelles Zeuxes, Praxiteles, ce-
lebranda Tullii Demosthenes Isocratesve suffecerint. Tanta
ergo moti succumbo, cedo cessoque et... reverentem
calamum ad imos mausolaei pedes aeterno consecroque
divis Ferdinandi manibus, ne forte, si porro scrutetur
haec inaccessa penetraha tantae maiestatis apprimatur
a gloria. Unum adhuc tantum venia divorum cinerum
pro epiphonemate dictorum addo, quod Nicolaus Causi-
nus de Carolo Magno scripsit. Habebat, ait ille, cor la-
tum, ut aliquod mare, quod includere sua capacitate pe-
terat omnia ornamenta, quae solent commendare et ex-
altare magnos principes. Et uti nihil erat nimis altum

nimis arduum eius animo, ita nihil erat ita humile,
 nihil ita vile in eius imperio, quod ab eius cura, favore et
 bonitate excluderetur. In exercitiis pietatis erat religio-
 sus, in ferendis iustitiae decretis aequus, in armis ful-
 men, in victoriis modestus, in adversitatibus patiens,
 in aula innocens, in purpura sanctus. Haec effatus
 cetera silentio veneraturus conticeo. Haec sola alte sus-
 pirans, pax piis, divis sanctis Ferdinandi manibus!
 At dum ego intra vela silentii abdor paullulum medi-
 tato subito micuit exobleta iam et lebes, et vel ipso
 Augusti nominis obtusa iurare vena, atque haec nullo
 Hippocrene tincta fudit.

Pupilla maestis squalida supparis

Intecta, saevo saucia vulnere,

Orbata patroni favore,

Ingemuit sua fata coelo.

Waldiciano Brunonidum domus

Exorta campo. Sed lacrymas preme

Tutor paterque Ferdinandus

Caesareas refugit sub aras.

Qua sol refulcet, maximus, optimus,

Caesar potentum gloria Teutonum

Felice tandem sorte mutat
 Belligeros aquilis leones.
 Pae tetra foedo fulmina nubilo
 Fremat, Avernus seu volitet face
 Amata Erymis; Ferdinandi
 Altit impavidum sub alis
 Ride frementes Aeolios fratres,
 Noere iussu sperne satellitem:
 Tutum tibi castrum Mariae
 Praesidium Jovis addit ales.
 At te volucris fama per aethera
 Tollit volatu, gemmula caesarum
 Divumque nomen pingit astris.
 Autonoe et Charites coronant.
 Nec te silentium turba clientium
 Waldicenis conticet aedibus.
 Divosque manens Ferdinandi
 Perpetua requiete donant.
 Te te venustis vallibus audient
 Causi sonoro carmine sidera
 Reidentque sylvarum comantum
 Herbiferi resonata montes
 O vive felix regibus Austria!

Ter vive felix Austriadum genus!
 Tero rematus in nepotē
 Vive diu Leopoldē caesar!
 Ter magne, magnis edite regibus
 Nullis secundus patribus abnepos!
 Te posteris coelum beet, qui
 Threicię domiretur arci!

Numerus V.

Mors P. Brunonis Lignani.

Nostra interim privata eadem cura, qua superioribus temporibus ferebantur. Neopriora generali capitulo confirmatus, vires iam lapsans et rudem suspirantes, exeruit tamen ac non parvo ardore animi velut defecturus mox igniculus ultimo conatu ardentem rebus gerendis applicuit.

Et suffecturus eius videri poterat, si vita suffecisset. Sic nimirum persaepe tollimus ingentes animos et maxima parvo tempore molimur.

Admota aris manu fortuna est imploranda. Fac et spera bene! dicebant Lacones. Admota itaque rebus manu

Officinam Zythariam seu braxatorium ex fundatoris concessione Ladymii unde cerevisiam subditi Cartusiae caperent, nominibus pluribus, quam aere solvendam exivit. Duos etiam puteos effodi fecit, alterum claustro servitutum, promiscuis alterum usibus et forensi turbae.

Ceterum fabrica haerentibus destinatis ad eam a caesare fundatore, ut diximus, pecuniis, qua impotentia, qua protervia obligatorum haerebat dimidia sui parte mutila. Alii servabatur structoris decus. Rebus turbidis, sanguine humano fluentibus, cuius necdum satura erat velle quam bellum tetigisset tellus, aedificari Deo pacis aula sedesque non potuit. Paci reservari decet haec pacis opera. Tibi, o Bruno, seu emerito vacatio datur pressos tandem galea canos exue et coronis para.

Plurima meditando citra dubium confecturus meditata in languorem, qui ei supremus fuit, incidit, commissusque cum pertinace morbo et dolorum agmine, praeclarum de se Cartusianae fortitudinis spectaculum Deo divisque spectatoribus praebuit. Non ut pavidus tyro ad suspicionem ictus vulnerisque mortalis sarissa pallescit, sed ut veteranus luctator audacter proterem suum spectat, exponit adversa,

se vulneribus, mortem non tam timet quam provocat. Sic noster athleta in arena ista vitae duratus, saepiusque cum adversis compositus saevitiem omnem dolorum contemnebat, ratus pra non interesse vis morbi, solvatur an solvat. Quid mortem timeat, qui Christi vitam habet?

Christus moriendo docuit, mortem non metui, resurgendo de vita confidere, ascendendo de coelestis patris haereditate gloriari. Contemnebat ergo mortem, certus eam finire mala, transferre ad bona aeternum mansura. Optari unum e duobus a bene instituta Deoque praeparata anima cum illa Ibera heroide Teresia debere arbitrabatur. Aut pati aut mori. Quisquis Deo gratus acceptusque vixit varie exercitus tentatusque est. Ego ait divina veritas, quos amo, arguo et castigo, quasi dicat, quos mihi praeparo, in deliciis non habeo, experior, induro. Harcet omnis sine adversario virtus. Tunc apparet, quanta sit, quantum valeat, polleatque cum quid possit patientia ostendit.

Sed num victum dicemus, qui tandem morti succubuit? Non equidem. Stultus moriendo mortem incipit: Sapiens moriendo mortem vincit, ait

Seneca. Sic noster sapiens, qui lycae illo, quod vivere, quod mori docet, tantum profecerat, mortis dolorumque patientia victor, vitam lubens volensque posuit et ponendo morti palmam extorsit; e ligno illo vitae, e quo edere vincibus datur semper in immortalam vitam sese instauramus, laurea donatus per caelestem Iherusalem vix illi ferrum et antesignatum omnium, qui carnem suam crucifixerunt cum vitis et concupiscentis illum dilectum candidum et rubicundum electum ex millibus, vel ut alii legunt, sub signis habentem exercitum decem millium, aut ut alii, veillantem in decem millibus, nunc laetus sequitur. Quid ni teneat ille vitam, qui hic sibi mundoque mortuus, ut Deo viveret, omne studium ponit? Felix mors, quae mortem finit et vitam inchoat, felix occasus, qui ortui lucis nunquam occasurae praecludit. Securus moritur, qui scit, se morte renasci. Mors ea non dici, sed nova vita potest. Obiit 6. Calend. Ian. anno a partu virgineo 1637. Depositae sunt exuviae magnae animae in loco eodem, quo superioris videlicet, ubi hodie altare maius situm est.

Ortum habuit in ^{provincia} Marcomanis oppido Mörtericio 5 a Brunna lapide. Adolescens Brunnae operam dedit humanioribus

litteris, inde ne vetita vagus diffugeret gymnasium crucis
Cartusiam Brunensem ingressus dilectum quaerere cum
sponsa in cruce coepit, visus audisse S. Bernardum
dicentem: Circumire possum domine coelum et terram, ma-
re et aridam et nusquam te invenio, nisi in cruce, ibi
pascis, ibi cubas in meridie. Non alio mortuali lectulo
quaerendus sponsae dilectus, nunquam non frustra alio-
quin alibi quaeritus. Audi threnos amanti cuiuspi-
am sulamitidis.

Ah male te placido, quaesivi sponse cubili

Qui crucis in thalamo reperiendus eras!

Pax mihi lectus erat, tibi crux erat aspera lectus.

Hoc te debueram quaerere sponse thoro.

Lux mea iam quota te quaerendo perditam, non est!

Sed quaesivi, ubi non inveniendus eras.

Non aliam existimabat sponsari Deo animam posse
quam quae ut columba illa mystica indubaretur in ca-
vernis maceriae, velut alii vertunt columba mea in ca-
vernis petrae in recessu scalarum, qua nimirum intra
vulnere Christi crucifixi recessus scalas ascensium
cordis sibi disposuit, quibus in Deum niteretur. Relin-
quite, movet ad signa crucifixi transeuntes animos

vates Hebraeus civitates et habitatae in petra, et estote quasi columba nidificans in summo ore foraminis. Secura haec habitatio, amoenissima, plena dulcedinis suavitudinisque mitissimae mansio est. Viliis anima, quae alia in arbore, quam S. crucis nidulatur, ait Genevanus antistes, Franciscus Salesius.

Professione edita Brunonis nomen sortitus, virtutes sequi studuit. Neve spiritui gratiae contumeliam sequitiae faceret, semper in anteriora se extendens, hoc assidue ab se exigere studuit, ut qualem se praestare instituit, talem usque ad exitum servaret. Ne in incertum curreret, ex eorum numero esse voluit, qui consilio se suaque disponunt, non ex iis, qui eorum more, quae fluminibus innatant, non eunt sed feruntur, non mutare personam aut vota, unum hominem agere sibi que semper par inveniri sat agebat. Nec quod futurum est, nec quod fuit, suum putavit. Fugientis temporis, ut suum bonum usu efficeret, multiplex ei in otio fuit negotium. Ne nihil agendo disceret male agere, operam dabat, ut multum edversario nunquam non insidias per mala perque bona tendenti negotium occupatus faceretur, qui si

fugari armata negotio manu non posset, oratione, telo,
 cuius vim aciemque ferre non sustineret, sternebat. Prima
 Walsteinii fundatione Stipana et trium viris sub regimi-
 ne Matthiae Wittneri non postremus fuit. Si in orbe illo,
 quem unius sensus illa trias effecerat posteriorque inve-
 niri potuit. Nemo ibi primus, ubi nemo praesire omnes
 sequi ducique postremi infirmique esse exhibent, ubi
 omnes aequales aequae altos ac humiles facit humilitas.
 Inde in tetrum carcerem Olomucensem ab haereticorum
 istinc directoribus abreptus, in horas, in momenta fi-
 diculos catastas, faces mortisque cum sociis expectans
 productum ac morte saepe acerbius, mortis expectatione
 duxit martyrismum. Tandem ex gastulo illo solutus cum
 aliis huc primum devenit, prima sacrae huius Sparta
 cubabula ornaturus, bonorum malorumque ubique so-
 cius, hic aliquamdiu omnium approbatione agitavit.
 Tandem domui suae redditus iterato huc factorum de-
 stinatione revector vitam in ipso rerum gerendarum,
 quas ingenti animo sibi designabat limine posuit,
 fas admoto rebus non existimans ocioso mori. Statum
 domesticae rei in iisdem quibus superior terminis
 reliquit: Longa quippe ac difficilis est semel saucii

oeconomiae corporis cura. In rebus difficultibus, quarum
 longinqui exitus per intricatas impeditasque sabulis
 vias ostentatur animo non concidisse, molitum fuisse
 durum iter, in laude ponitur. Sat fecit, qui, quod po-
 tuit, fecit, aut ad id, quod potuit facere se accinxit. De-
 us, qui voluntates et corda exambit mortalium, ut in
 opus non exeant, sole desideria et aliquid volentes
 animas coronat.

Caput tertium.

synopsis capitis.

Progressus magni Suecorum. Successio in prioratu
 vacante P. Wilhelmi Ortembergii Bapnerii in Bohemi-
 am irruptio, miserieque rerum nostrarum status. Capti-
 vitas P. Ignatii De Oswald. Mors vitaeque prioris Guiliel-
 mi.

Numerus 1 mus.

Progressus magni Suecorum.

Infelix dignaque in spongia, ut Ajax Augusti incum-
 bere et expungi fastis memoria a me memorabatur re-
 rum, quae ab anno 1638. post mortem d. Ferdinandi II.
 imperatoris augusti, quasi omnis eum eo occubisset
 felicitas, retro labi cepere. Procubere, namque heu!

res caesaris, catholicorum omnium spes collapsae sunt, et malorum quae usque bella tulerunt, examina in Bohemiam Germaniamque totis portis se infundere. Banerius siquidem Suedicae militiae polemarchus conventu apud Stockholmiam habito, expeditis libero mari comitatibus et supplementorum advectionibus solae amoenae praebitione caesareanos rerum penuria pressos, quam flagitiosa ducum socordia, et praedarum aviditas effecerant, in transfugia pelliciebat: adeo antiqua militiae disciplina apud nos conseruata nuper. Ego transfugis hostium et domesticis e Suecia supplementis aucto exercitu in caesareanos duxit: motu receptoque Garciae Volgastum ac Daminum uno tempore acta obsidione cinxit, nulla iam caesareanorum cura aut metu, quos ultima rerumque omnium egestas tota Pomerania brevi exactura esset. Ita Galossius reductis fame ac morbis foede immunis erectisque paene copiis, cum aliquamdiu in Loxonia apud Albin stativa habuisset, dubia in se sociorum voluntate, ad reficiendas vires in Bohemiam, quae vix recipere vires inceperat, recessit, exercitumque diu cum extremis malis conflictatum per hyberna disposuit. Quam
 Tum

pecuniae, ne sanguinis dicam, certe sudoris miserorum Bohemorum hauserit, exhaustus ille male sartus testusque exercitus, facile quisque coniciet. Sarciri damna omnia hinc debere. Non per stativa tantum habitae exactiones. Sed in futurum provideri quoque debuit, ut testus armatusque, imo sartus cultusque et arcenti pastu vegetior in hostes iret, non inani ac deplorando sumptuosae operae pretio, si saginatus inguentatusque ut fulii olim caesaris, sic iste miles pugnare in hostem scivisset. Ad nos ut redeamus, quos non minima ex parte haec publica tetigere, inchnari fatis, Aesopicaeque illius arundinis in modum quacunque incubisset mala reverent. osculo demisso cernuoque ore excipere oportuit.

Numerus 2^{us}.

Joannes Guilielmus de comitibus Ortembergicis Brunoni in prioratu sufficitur. Brunoni successor datus Joannes Guilielmus e comitibus Ortembergicis vere arundo nusquam quieta statione mobilis fluctuans et in omnem proiecta ventum fuit: in quem hi adeo omnem vim et iras exoneravere, ut nihil praecleari, quod in rem esset, toto fere decennio, quo sacro

huic aëterio praeſuit, conficere, potuerit imo multo maxima parte peregre agere, eñtiumque tolerare neceſſe fuerit. Quid enim ageret, cui nihil ſui aeris domi, foris alieni plurimum eſt? Qui nec ſuus eſt, ſed in ius creditorum tot nominibus ceſſit? Cui quidquid uno ſyphunculo influxerit, centum canaliculis efflueret? Cui quod impendere debuerat in filios quo ali domus magna poſſet, in marcentem otio militem difflandum eſt? Quem ut exolas, ut romas actimque etiam lvi- ges recentior corpore quam animo, ubi nativo gelu glaci- alique coelo duratum inexperitum lueus, plus animorum, quam rerum ferentem poſtem, leones iuba horridos intonſo impexoque pilo conſpexerit, refugo a diſtentis ſanguine venis frigidus pugnat, ea ſeruare magis intentus, quae ſeruari ſua intereſt, non rei publicae. Sic bella ex bellis du- ximus, rati nos cum pelle vendita, deliciis rerumque ſi- mul omnium copiam praestiſſe. Bellatur non ex fruc- tu publico, ſed commodo quaestugue bellantium, qui ſi ex hoſte haberi nequeat, ex amicis petitur, non alio hu- ius ab illis diſcrimine, quam quod hic impune ra- piatur, quod illic ſanguine venierat.

Ita noſter Guilhelmus prior cum iniquiſſimis

illis temporibus cum iniquitate fortunae varie conflicta-
retur, assurgere remque aliquam facere omnino non po-
tuit, cum quicquid fere esset redituum discincta si-
bimet zona militum eis suscipere debuerit. Inde miser-
rimus huius miseri poenobii fuit status, imo fluctuatio
cum tam turbatis publicis rebus ipsam neutquam stare,
sed varie recipiantibus auris per incerta, ut fors tulit
ferri oportuerit. Omnibus fere annis nusquam a milite
vacua Bohemia tellus locustis illis fruges suas, cum cu-
iusvis fere proelii infelicitas eam in praedam raperet,
gembunda parturiebat.

Dies me deficiet, si calamitates, depraedationes,
incursiones vastationesque memorare pergam. Vere do-
mus haec Dei, domus orationis conversa est in spelun-
cam latronum ac maritorum, Saemonum (ita spoliantes
milites vocat Lynesius), qui saepe hic aut insidiis hostes
exciperent, aut excepti ea se tegerent, aut in viatores intenti
latrocinarentur. Uae deprehensis, si qui forsam inspiciendae
domus causa e curatoribus domesticae rei tantillum obhae-
sissent. Verbera illos, ludibria, convicia mille imo et tor-
menta certo manebant, ut eis fidiculis defossos, ubi re-
bantur, ecclesiasticos thesauros, e coecis scrobibus, ut Eury-

dicem Orpheus, excantarent. Ditiore qua Radimio immi-
 met colle, unde planiora camporum viaeque omnes late
 despectantur speculam sibi verius quam habitaculum ere-
 xere, ubi per vices excubantes unus alterve religiosorum ac
 familiarium, si quae militaris manus, cohors aut turma
 enimes apparuisset actutum impedites timore alatos fu-
 gamque acti quisque pro se aiebat:

Nunc ego secretas umbracula frondea silvas
 Lustragne solivagio opto relicta feris.

Nunc ego vel mediis timidum caput abdere terris
 Aut maris exesa condere rupe velim.

Nunc voveo abstrusa montis latuisse caverna
 Aut habitasse tuos nos tenebrosa specus.

Fiebat ergo ut condensa frondium arbustorumve,
 aut coecos terrae abscessus, aviaque spelaea nacti tantis-
 per abderentur, donec rursum novus hostium timor in
 silvas lustragne compelleret. Sic igitur nunquam re-
 mittente metu ac trepidatione incerta statione perpe-
 tuo vitae discrimina obiecti agitabantur. Quid haec?
 Palustrem inter ulvam undantha carecta, fluctantes
 scopos caumasque piscinarum abdi, gula tenus aquis
 mergi vim furoremque insectantur, ceu in venatu

odoranare tales praedas canum ea arte declinare eludere-
 que nonnunquam oportuit. Vide mihi sis unum ali-
 quem sic morsum et mille tormenta sustinentem vi-
 debis. Nam ut carnificem illum pavorem et suspicacem
 intentamque in omnia curam; et quaecumque et lon-
 ginguo aut vicino increpuere proditoris suspitione
 terrentia taceam, hirudinum, sanguisugorumque ani-
 mantium, aquatilium, insectorum, cubicum, muscarum,
 morsus suctusque immotum excipere tormentum pance-
 trox est. Si ferus Jelonoque solo cretus sit, qui hunc ta-
 lem diro siphunculorum oculuatorum strigili perfric-
 tum e balneo egressum uvidium torpidum collisus fri-
 gore dentibus tremulum gelatumque commiseratione
 dignum, si iudicet. Ad haec genus hoc perfugii ut in-
 observatum tutumque ab hoste sit, non tamen ab ipsa,
 quam fugerat, morte tutum est. Jehidis namque iam
 pavore artibus adstricti frigore (maxime si diu perstan-
 dum est) nervi aut mortem in viscera insinuant,
 aut stuporem, paralysim, tremorem artuum, ponthica ma-
 la, imo epilepsiam nunc si qua ipsam inducunt. Nus-
 quam tuto ei creditur vita, quod eripere potest. Male ini-
 micum fugio alterum, si alteri te credis. Nullum cum

homine stabile foedus pepigit fluxa infida, inhospita
 Phetyp. Sed quo non agit mortale pectus ille animi tortor,
 hominem sibi auferens, mortis pavor? In spem contra
 spem, contra mortem in praesentem, quam ex longin-
 quo se ostentantem fugerat mortem (crebroque illi
 evenit, quod equo suorum mus canumque aculeis in-
 furias acto, qui dum coeco furoris oestro coece in vanos
 fluxus agitatur, aut palum induit, aut in praecipit devo-
 lutus cervicem frangit.

Dum fugio fucum, dum ferreo pessima sic mors
 Non faciens fucum, nunc mihi fucus erat.

Numerus 3 tuus.

Captivitas P. Ignatii D'Osvaldi.

Ab anno 1639. superiore passim re Suedica, Bohemia,
 quia in sedem ut destinaret Bennerius Suecorum acfi-
 strategus non potuit, in praedam cessit. Diripienti-
 bus eam ex aequo tam defensoribus, quam impugna-
 toribus. Nimirum utraque partium intererat o-
 pima hac plebis ac fugee tellure potiri, quae utrisque
 partium ac delicias sufficeret. Ut iam in medio ve-
 lut posita in praemium victoriae exposita videretur

perinde ac si eius potius gratia pugnaretur.

Infusi ergo in Bohemiam victores Tureci, cum victo-
rum iure insolentissime uterentur, enimvero efferatis
clatisque fortuna nihil sacrum intactumque usquam
fuit. Evenit ut in vacuum alias omnibus non tantum
generosiore, quem ut Tacitus de madiacis ait appropri-
um terrae solum acius animaverat spiritu, P. videli-
cet Ignatio P Oswaldo, Helveto habitatum coenobium
ingredierentur, et percursis militari tumultu omnibus
aedium angulis, ignarus, bonus, hospes quid rerum
quidve hominum esset, caput e cella, qua delituerat,
tacitus exserit, sed heu! infeliciter patet o Carturiane!
Conspectus quippe ab excito versatarum strepero cardi-
ne postium sonitu mihte, dum refugit, effugia la-
tebrasque anxius quaerit, in foribus capitur, atque ad
Grabstein arcem perducitur, futurus risui, ostento
ac fabulae omnibus ludibriorum ac omnium, quae
insolentia haeretica suggestisset, telorum scopus. Sola-
tium misero fuit socium habuisse. Par illic erat,
at diversi robor, candidus uterque, ille e asceteris
Waldicis, hic e collegio Trecinensi Tern. vita par
nobile fratrum unum iugum miseriarum trahentes

infelices iniuriarum, quas effrons et in frenata haere-
 nis excogitare potuit victimae. Sannas, ludibria, vim,
 furorem, iras petulantias, vehemences et multa in pa-
 vorem ludosque commenta, quae illis laute in quotidi-
 anos, ne horarios dicam, missus apparebant, illi Orsi
 archimagistri quis enumeraret? Impositum quinetiam
 equo nostri, seu in triumpho peregrinum animal mo-
 nachum Littaniam haereticam invexere, ubi a male fe-
 ritate in Lutheri deliria conivata pube pessime accep-
 tus mille annis dehonestata mentis mille et quibus non
 contumelias incessabatur onerabaturque? Haec omnia.
 Non aliter digeri potuerunt, quam fortiter glutendo, risu-
 que condendo amaros bolos, aut bobetos plusquam
 Claudianos. Vulpinandum saepe cum vulpibus, cum
 lupis ululandum miseris fuit, quantum religio ho-
 nestasque sineret. Nostro tamen mitius egere, quod e
 gallica domo in Gallia professus, gallicum idioma ut-
 us sumque calleret; at vero alterum bonum patrem e
 Soc. Jesu, ut quo in omne genus essent animo palam
 facerent indignis prorsus modis habuere, eo usi pro
 haeretica ac militari licentia ac libidine. Nihil di-
 xero, si sexcenta mala passum dicam. Ingenuae aures

multa retant. Sic imaginare quid fieri potuerit, haereses anastygi, ab haeresi inmutitit haeresum propugnatoribus, qui omne Jesuiticum nomen cane peius anque odissent.

Dum uterque illic Daniel in bipedum leonum lacu, qui ut de suis lateronibus scripsit D. Ignatius M. beneficio, moderata ac mansuetudine efferarentur, agunt, dira quaeque in bonas expectantes, evenit forte, ut populariorum sacerorum minister in symposium coenae Luthericae lagenam vini meracioris, scilicet consecraret, quam tantisper in partem reposita et abijt. Adrexit quispiam e famulitio praesidio praefecti lagenam portentat, spumantemque mero intuitus aufert et crebro haustu ea hostia genio litans, ad limpidum usque fundum totum educit, os tergit et turgidus venas subsiliens ac ter Io! Evax! succlamans, per angustas porticus plusquam gemino pede gressus glomerat miscetque. Tum, ubi vacuum sanguine ministellus lagenam conperit, ringitur, fremitu vociferationeque omnia complet, papistas forte in ludibrium sacro sanctorum mysteriorum mystrarumque id sacrilegi conscivisse. Sed cum non essent convenientia nihilumque con-

vincentia testimonia, reum agit tanti sanguinis hausti a pedibus praefecto iuvenisim, qui recepto toto in viscera Baccho Eusteus non una lingua magna homine maiora velut divina passus loquebatur nimirum. Clarius epoto vates fit quisque Gaeo,

Et tumultenta sacrum mens quoque Baccha fuit.

At heus profane popa, cui tremit omento, popa venteri ridiculus es. Sacra haec non scamnis angubisve reponi, sed aris debuerit. Inapte epoti zelo ardes divini sanguinis, quem tam vili habueras pollutumque duxeras, et casui profanationique exposueras. Tibi sane e praedicatorum censura suo suspendii a sacris poena pendenda est, aut non invidenda fortuna homini eat obviantem amplexo. Sed irrisim hunc mittamus sycophantam Luthericae haeae mystem. Nostri captivi rerum suarum statum prolice superiori quisque suo litteris patheticis ad sympathiam commiserationemque significant, et auxilium orant. Praesentius esse non potuit, quam numeratum in lytrum argentum, quod plurimum nefaria licitatione famehae illae Harpyae augebant. Nihil tamen ad omnem industriam fecit reliqui Wilhelmus prior, ut suum

e captivitate ac unguibus eorum exiperet. Sed in cassum mitebatur, donec interposita reverendissimi patris generatio apud regem Galliae opera eius interventu vi pactorum, quae Galli cum Suecis iniere non tamen sine pecuniarum impendio, quibus plusquam saeptis milites oboediunt, salvum eum reciperet, malis suis docentem posteros melius satiusque effugere insolentem haeret, eum, quam ferri. Et vero deinceps victu isto, ut provocator sapiens, ubi deinceps hostile quid insonuit, fugere maluit, et se mento tenus aquis credere, quam iactam semel tam male aleam desueto ludere, illud haronianum sibi subinde accamens:

Et me quem dudum non ulla iniecta movebant
Tela, nec adverso glomerati examine Graii

Nunc omnes tenent aurae, sonus excitat omnis
Suspensum, et pariter comitumque onerique timentum.

Ceterum Guilelmus praesul, ut expositae rapinis domui suae consulere, quod maioris Cartusiae in Gallia sitae professor Gallis inveniisset, multumque sibi de eorum benevolentia polliceretur, ubi sub Suecorum laboris Gallum, maxime si eum aliquo

imperio esset, comperit, adire, prensare, multaque
prece et precio non nunquam ferociores molire, ut aliquid
sibi, maeque domui praesidii in se esse paterentur, affecitque
multo, et laboris et argenti impendio, ut quantacumque fuit,
integra tamen omnibus bellorum motibus haec Cartusia per-
stiterit.

Numerus 4 tus.

Prioris Wilhelmi Ortenburgii vitae ratio.

Tali rerum suarum fluxu et refluxu velut in Oceano varie
agitatus, hac illaque saepe in Sytes aut brevia impactus, do-
mum hanc exiit Wilhelmus ad annum usque 1647. sextam
Martii, quae ei supremum mortalitatis diem claudit, im-
mortalitatis aperuit. Ortus est natalibus illustrissimis e
comitibus s. Romani imperii de Ortemberg. Splendorem
generis, magnam illustremque domum et quidquid mun-
dus rei speique ostentabat cremo Cartusianae posthabuit,
atque in primo flexu inventis, rectam Pythagoricae litte-
rae lineam ingressus improperium caucis plenis Thesau-
ro Aegyptiorum existimavit. Magno igitur ausu, illa hor-
roris et vastae solitudinis nivosa cacumina, montes Car-
tusiae conscendit, quo propior coelo elongatus fugiensque
terrarum, e vicino magis caelestia contempleretur, et

profecto non jacens, sed humana iam supergressi animi est eam stationem in rupibus deligere, quam scriptor aevi nostro clarissimus styliarum veterum columnis aequi parare non dubitavit. Nec sane temere; ubi nimirum e porrectis in aëra fastigiis cautum, columnis velut pendentium viva veteris Anachoreseos videre liceat simulacra. Altissimo iam terrae situ positus, ut in alta excelsae virtutis, quae in arduis nidum fixit, quandoque eniteretur, ab imis coepit, gnarus nisi ab ima valle ardua montium non peti. Qui enim vult aedificium struere charitatis, necesse est, cogitet prius de fundamento humilitatis. Inde illi prima semper cura fuit, ut bene ei cum humilibus illis cedris an myricis dicam? Sed utramque dixero verissime et myricis et cedris; cedris inventis Dei, myricis in suis, ut fieret quasi unus ex illis, hoc est, obvisceretur, populum et domum patris sui. Et genus et proavos, et longo sanguine ducta stemmata:

Quod ut faceret, de se aliquid dimittere debuit. Non enim aequantur humilibus alta nisi in denseris, quo extant. Tum insitus iam oleaster, Olivae montis illius coagulati ac pinguis, ne ad naturam neglectu rediret, in domino

solo gloriari voluit, sibi diffidere, nec trans migrare perich-
tatis, praepropere alio in montem sicut passer. Assidue er-
go illud apostolicum volutabat animo: Noli altum sapere,
sed time: sat alte te extuleris, si timeas. Timor enim
Dei super omnia se superponit. Late sub tegmine olivae
tuae o tenera insitio!

..... sicut parnassia laurus.

Parva sub ingenti matris se subicit umbra. Late, et id
unum age, ut vita tua quemadmodum pretiosa rerum,
non multum pateat, sed multum penetret. Late et curam
tui gere, teque ipsum plus omnibus time, ac vereare sem-
per ne degeneres. Melius quippe est latere, et sui curam a-
gere, quam se neglecto signa facere. Late et time, ne natu-
ra male expulsa redeunte iterum oleastrum induas. Dic-
tum D. Treneo M. est. oleastro similes esse homines. Di-
ligenti cura et insitione olivarum fructum proferre in-
curia olivitoris silvescere, et in oleastrum redire, olea-
strum vero coelorum regno excludi. Oliva ergo esse, me-
nereque studuit Oremburgius noster. Sed ut psaltes re-
giss carit: Fructifera in domo Dei non mundo, non
carni, sed uni Deo fructificans, ut iuxta S. Jo: Jamas-
eni affatum: in domo Dei plantata, impignata spiritu,

instar olivae fructiferae omnis virtutis facta statio ab omnibus curis secularibus et carnalibus procul removeret evaderetque eo pacto non fructuosa, sed et speciosa. Non ha solum multo laboriosa factu, sed armata specie Israel.

Et vero quam oleaster non fuerit, sed vere in stirpem oleae transierit, felix surculus vel hinc advertite. Extincto ultimo stirpis Ortembergiae comite, cum plurimi amicorum suaderent, pinguescentis speciosa deserti desertum iret, in veterem oleastrum reditu facto, suscitaret semen fratri suo: Dicebat: oliva sum. Non possum deserere pinguedinem meam et redire ad sicca, esucca, inania mundi gaudia, aut prima fide violata ad altera transire vota aut speratosque olim profanus procreta captatum ire Thymaeneos. Qui infirmus est olus manducet. Atque olei infusionum oleum, virorem succumque omnem deposcentes erucas interimit. Pridem mihi olusculo, cui omne a fame condimentum est victi, tancti, extincti oleo caelesti cupidinum vermes. At perit a stirpe Ortembergicum genus ac nomen. Non facio genus ~~nocturnum~~ preciosiora, quam me. Quicquid exortum est, ideo nascitur, ut occidat. At abste motineri ab interitu vindicari, et propaga-
ri

potest. Supervacue in illa me extendo, quae brevi desitura sunt. Mundum hunc aspice: perit. Totum mortalium genus ob unum obtutum statue, moritur. Vitam hanc aevumque viventium aspice, fugit. Quo ergo fugientia, morientia, pereuntia, teneam, educem, propagem? Male de longo vitae ac sanguinis tractu prospicio generi, si a me ipso denererem. Deo me dicavi, Deo vivo, Deo morior, et quod certum juratumque est, morior Cartusianus. In Germaniam a summo rei publicae Cartusianae moderatore Justo Perolto cum potestate commissarii missus e domo Lugdunensi, in qua coadiuto rem egerat, hanc potestatis ampliationem accepit.

F. Justus, prior domus maioris Cartusiae ac totius ordinis Cartusienensis minister generalis V. P. domino Guilielmo de Ortemberg eiusdem maioris Cartusiae professo, et coadiutori Cartusiae Lugdunensis salutem.

Cum ob gravia negotia et importantia missus fueris in Germaniam, tuam commissionem ampliamus. Tibi mandamus, ut habita opportunitate domos alias ordinis, quascunque videatis, et eas ac statum earum consideretis et in scriptis redigatis, cogatisque ibidem personas ordinis habitantes virtute, ac praeccepto sanctae

obedientiae vobis praefatum statum in veritate praebere. Quos status tempore opportuno et prima occasione ad nos transmitti curabitis. Deus inter vestrum obedientiae ergo susceptum benedicat et sanum vos ad propria reducat.

In quorum fidem praesentibus manu nostra scriptis et subscriptis sigillum consuetum apponi iussimus. Cartae 30 Jan. 1635.

F. Justus, prior maioris
Cartusiae, et ordinis generalis.

Cuius succi olea haec nostra fuerit vel hinc conicio. Nam sterilibus dubiae minusque sincerae pinguedinis oleastis oleae decus degeneri liquore imitatis, haec tanta minime creduntur. Post haec iussus Marthae officia in Buxiae domo obire, inter frequentia mentis Geometrae in curarum sollicitudinumque terrenarum oceano naufragia operam debat, ne quid olei ac pinguedinis spiritus tanta cura congestae effunderet, quod tempore longo multoque sudore partum est. Sub modo ergo humilitatis tutissimo sibi huc esse videns, id egit, ut humilis in oculis suis semper incederet, se in conspectu haberet, suus esset, multaque sollicitudine curaret, ut inter plurimas rerum circa se positarum

curas, potissime sibi sui ipsius cura esset. Ita oliva haec
 olei sui minime prodiga, servabat illud lampadi qua-
 cum in domum aeternitatis ingrediens, cum prudenti-
 bus virginibus obviam iret sponso et sponsae. Deserto pa-
 store per decessum P. Brunonis Haldiciano gregi praeesse jus-
 sus dictoque maiorum in lucem patulam protractus, ubi
 jubentium, non rogitantium imperiosum illud audiit:
 Veni et impera. Aliis te da et quod in tuos congereras, in
 aliorum usus eger. Quantumcumque auferri se sibi inge-
 misceret, paravit tamen: Non omne se tulisse oboedientis
 ex arse punctum arbitratus, si non primo iubentium
 sibi, non primis conantibus imperia labris paruisse.
 Ergo parat abique e monte mythae ad collem Thuris;
 ut quicquid virtutis vera sui abnegatione in monte hay-
 rhae legerat id in odorem suavitatis Deo, in charitatis
 qua pascendos oves suscepit, aris litet, totumque se suis
 impendat et superimpendat animamque ipsam, si res
 ferat, ponat pro ovibus suis. Et vero non raro illi pro sa-
 lute domus ac suorum aliquid impendendum animae
 fuerat, ut qui totam simul non partitim daret. Dum
 per mille discrimina magno animo adita, nec magno
 minus animo contempta, infidae militum fidei caput

honorumque saepe numero credens, toto suae praefecturae decennio turbulentissima illa rerum circum se frementium tempestate clavum sic tenet. Ob partim everberatis arte fluctibus, partim virili obiectu fortiter exceptis, partim vicinis, medias inter Charybides et Scyllas ratem sibi predictam quassam licet ac laceram, non parvo et fortunarum iactu salvam tamen conservaret. Sed nos oliva nostra praepere deserta, non alieno tamen excursu, alio impactu, bona cum venia eo unde abimus revertimur. Oliva, qui fuerat prodiga sui, et nunquam se periculis negante chrysmate Wilhelmus praesul, ea etiam parte, quae postordiniorque prima et fere unica veritatis incarnatae eloquio est, praecclare olivam praese tulit, non ut praecesset, sed prodesset praelatum se alius seivit... Cinnamomum attritu, aromatica unguenta attritu et quocumque unguine liquenta, tangentium manus ac corpora odore ac succo imbuunt. Sic oliva nostra subiectos sibi a convictu ac conversatione virtutis pietatisque pinguedine e vicino irrorabat, ut non iam manus solum stillarent, myrrham primam circum munientis, contra putre voluptatem carnalium oleum, animos mortificationis sed frons oculi, vultus etiam in pectora influerent, eaque

meliore succo exactae ad Cartusianarum legum amussim
 observantiae ac sanctitatis, ad edendos Cartusiana para-
 diso dignos fructus impinguarent. Nam quem admodum
 astra evibratis in sublunaria radius aspectu suo, luceque
 paupermatica terras faecundant, sic viri boni aspec-
 tus, in intima aspicientium se insinuat, semen boni
 occulte inserit, et ad frugem disponit. Multos saepe nu-
 mero composuit viri sapientis occurus, iuvit allocutio,
 aspectus ipse boni amorem vel instillavit, vel torpentem
 excitavit. Quam vere dictum regio vati: cum sancto
 sanctus vis, et cum viro electo electus vis et cum per-
 verso perverteris! Semper ad malum aequae ac ad bonum
 plurimum socii profuere. Ut ardens alto cœlo sol om-
 nium facies fuscet, tamen in hoc non venerint, ita co-
 lorem recti bonique inducit, nihil cogitantibus, quos
 aspexerit bonae mentis homo. Sed quid iam cum propius
 a praesente nostro ad subigendos data opera mentes ad mo-
 tum linguae officium est? Blandissime olei in modum
 influens, quod voluit, permeavit. Pessumdat, quod im-
 petu cadit, movet, quod bene labitur. Unde terrente
 rapitur, violenter ruit, sequitur, quod ducis. Nemo
 tam durus fuit, quem eius suavitas, et mollitia mansue-
 tudine

imperia non movissent.

Errata suorum tulit animo placido, mansueto, magno, eosque magis compassione quam castigatione emendabat: Sciens profici plus monitione leni quam asperatis aspectu, verborum minis. Ut ignis ea, quae durari in testam ceperunt magis magisque durat, sic mentes semel obfirmari coeptas non domat, sed durat severa correctio. Immanueta mansuete tractanda. Quo plus accidunt ulcera eo molliore egent manu. Etiam oblivisci quod es interdum expedit. Praelati nonnunquam immemor, memor hominis, nihil ab se alienum fragilitatis humanae existimebat. Quare ergo subiectorum sibi hilarius responsum, et contumaciorum vultum, et non pervenientem usque ad se murmurationem flagellis poenisque expiaret? Quis, aiebat, sum, cuius aures laedi nefas sit? Ego non sine iniuria nativae generositatis humilitate animi suppressantis se ac descendens, omni liberiore actu, gestu ac verbo contemni me iudicem? Non aliquid concedam eiusdem portis consorti? Ignoverunt multi hostibus, et ex Christiana disciplina ignoscendum est, cur ergo non ignoscam pigris, negligentibus, garrulis? Pro quocumque errato illud respondebat sibi. Sapientissimos

quosque viros delinquere, neminem esse tam circum-
 spectum, cuius non diligentia aliquando sibi ipsi exci-
 dat, neminem tam maturum, cuius non gravitatem
 in aliquod fervidius factum carus impungat, neminem
 tam timidum offensarum, qui non in illas, dum vitat,
 incidat. Non tamen eo excessit olivae nostrae lenitas, ut
 ad condescendum vitis quoque descenderet. Sed inna-
 to illo sibi mansuetudinis oleo, velut pancreto, aut
 opopopace medicinam omni morbo faciebat. Altissime
 illabi monita, quae leniter influxerint, non nescius
 Machaon religiosus. Nec causticis, nec rodentibus, mor-
 dentibusque utendum, ubi mollioribus locus sit. Despe-
 rata sunt mala, quae ultimis experimentis tentantur.
 Ita medica haec oliva felici curatione omnia facile per-
 sanabat. Nec refugi poterat medicus, qui blandissime
 tractaret vulcera animi, nec unquam ostentatis ad
 terrorem caesariis instrumentis errantis pectus pavore
 concuteret. Inde illi ita cunctus ac domesticus omnium
 corda in perinio pectoris gestare videretur. His siquidem
 artibus facile inicitur omnium gratia, benevolentia con-
 ciliatur, animi possidentur, arctissime devinciuntur,
 mutuo animi suavitate et comitatis illicio, charita-
 tisque

funiculis tracti: non anulus anulo ita haeret, dum a
 magneute rapitur, quam arcte coire solent pectora, quae
 benevolentiae ac morum facilitatis magnes ante succi-
 num adornavit.

Numerus 5^{tus}.

Guilhelmi prioris aegritudo et patientia ac non-
 nullae aliae virtutes. morbus supremus ac mors ipsa.

Qui in aliis ferendis facilis fuit, propria etiam ma-
 la patienter, modeste, tranquille tulit. Nempe ubique si-
 bi similis olea haec oleum spirabat, quo quicquid du-
 rum evenisset, facile lenitum est. Procurator Buxiae dum
 agit, in molestam arthritidem incidit. Ex cuti flagellis
 esse debuit, ut olivam daret, teri haec atque aceto pre-
 mi, ut oleum funderet. Sed quod veris? Patientiae? Plus
 aliquid! Oleum exaltationis purum illud et amara
 vacans. Si quidem tanto, et iudicio multorum imme-
 dicabili malo, non ingemuisse, non tristi adductaque
 fronte immurmurasse, quae estumve fuisse animad-
 versus est. Cura igitur sui Deo cui cura est. de omni-
 bus reiecta, in quem eam pridem totam iactaverat,
 ingenti fiducia cavebat cum psalte regio: Impin-
 quasti in oleo caput meum et calix meus inebrians.

quam praeclarus est. Praeclarissimus impinguatae
 gratia mentis fructus, ad mirabundum seque vix ca-
 pientem animum laetitia incidere eoque sano ebrium
 per compita et angustas temulento amari vias alti-
 ore tono canere: Opote nimium ad emotam usque prae-
 postereque amantem mentem amare, amari dicere de-
 bueram, calix, quam non amarus, quam dulcis, am-
 brosius, nectareus, praeclarus est! Tum felicitate illa
 amens, tumensque, non paulo maiora carabat. Funes
 reciderunt mihi in praeclaris. Stungant, urant,
 secunt, adductisque ex succis aridisque nervis pen-
 dulae nique se contortae fluant manus, nolo solvi:
 Haec vincula hereditatis mea praeclara est mihi. Haec
 illa Homeri aurea catena est, e coelo pendula, qua in coe-
 lum trahar. Innectendas vincendasque huic do ma-
 nus, solvi nolo. Nemo quisquam laetiore animo opulen-
 tam hereditatem adiit, quam ego hanc vinculorum
 ac crucis, qua cum haeredi gloriae compar fuero,
 ecce hereditas Domini, si compatimur et coregnabi-
 mus. Momentum tribulationis, adducet pondus glori-
 ae. Cohaeredes efficiamus bonorum, quae precio sangui-
 nis haeredi stetero. Nemo unquam se credidit. Sed et

lusus est. Ipe nunquam excidit, qui eam in collo fi-
 xit. Oliva haec nostra, quae caput rerum suarum spem-
 que omnem in coelum extulerat, unice oculos animum
 que levabat in montes, unde veniet auxilium, sibi. Be-
 ne est: venit. Nam humana omni arte, cura speque
 consumpta, dum domestica, pariatu facilia obviaque ae-
 gris artibus admoveat, stupente Gabenisehola, in exami-
 na pendentiaque sine sensu membra rediit vigor. La-
 xantur adducti per emortua brachia nervi, tenduntur
 digiti, maioribus admoventur vigent manus. Non de-
 cebat eas contractas mori, quae olim tam passae, pan-
 daeque tam profusae ac liberales, tam proficuae, opero-
 saeque futurae fuerant. Liberalissimus praelatus pas-
 sim audit, de omnibus bene mereri studens, etiam
 ingratis saepe et male beneficio usus. Non perire sibi
 existimabat, tamen in bonam terram, non cecidisset
 beneficii semen. Bono viro fructus est bene fecisse. Ef-
 fectus boni in diversa se effundentis in fortuito est,
 qui saepe intento non respondit. Nec domestica eges-
 tas, nec incerta eventuum, nec temporum iniqui-
 tas stringere illas manus potuit, quae miraculo a-
 pertae sunt. Egere se maluit, quam pauperem in

paucas necessitates mas contrahi multa sibi deesse pati aut nescire. Ut alio bonus esse posset, tam sibi nequam fuit.

Dilectionis, charitatisque unguine exundasse olivam hanc indicat boni in consortes naturae effluvi-um. Bona se non intus tenent, amant ex se in vicina et longinqua saepe et ignorata etiam exire. Nec alio bonum numen cognoscimus, quam bonitatis in mortalium genus, cuius bono omnia fovet, nutrit, conservat exitu. Amor actuosus est, per opus se prodit. Operatur, magna si est, sis autem operari renuit, amor non est. Aurea gnomē Gregorii. Habitare in corpore animam probant vitales sensuum operationes. Habitare in anima amorem probat exercitum in pensis aliorum opus.

Oratione sterilis, siccaque esse non potuit oliva nostra, quae operatione tam pinguis fuit. Manus manum lavans utraque munda efficitur. Operatio iuncta orationi, non tam eam puram efficit, quam quia ab origine mentis profluit, eam hoc ipso puram Deo acceptam pinguem ac unctuosam supponit. Contractus in se animus nullogue fluore foras se prodens internae siccitatis est indicium. Angusta tibi, succique expers est

oratio, quo in libertatem animum non asseruit, pati-
 turque iugum ducere nimiae in seque ipsum detor-
 tae sollicitudinis; cui nulla aut postrema cura proximi,
 plurima sui, cui quae libet e fortuito casu nata manus
 ligat necessitas, nec tantum cupit, quantum in praesens
 satis est, sed in futura extensis etiam in longos usus
 seponit, forte caestino peritura. Ut letas diductasque
 manus opus, ut Deo se probet, requirit, sic expansam
 lateque patentem postulat devotio animam, quae Dei,
 quaeque divinorum influxuum capax sit, nullis aut
 certe non stringentibus curis arctata. Ex fructibus eo-
 rum cognoscetis eos. Qui beneficus est aut Deo jam ple-
 nus est aut paratus. Alterum ex altero nil inferre ve-
 tat, benefacere et bonum esse. Nec enim ab alio in
 bonum opus quisquam agitur, quam a bono, quod in-
 tus est, a perverso, animahi, sibi que nimium debente
 animo in bonum nisi bono suo, raro itur. Num-
 quid colligunt de spinis uvae aut de tribulis ficus?
 Simile gignit sibi simile. Haec illa est Deo expetita ha-
 bitatio, quam ille tacitus incolit, deliciasque suas
 reputat: oranti domesticus, contubernalis ac favens,
 nec unquam ita in preces obdurescens, quin ab ac-

mata beneficio manu expugnetur cedatque victori in omnia
 paratus, quae oraverit. Oratio humiliantis se nubes pe-
 netrat. Oratio se magne proximae impendentis, cum
 coelum intra se habeat, in ipsa adyta sacraeque ex-
 auditionis se penetrat, nunquam vacua cassaque fue-
 tu in sinu suo, ut pagitta Jonathae conversa retror-
 sum in uno crine colli sui seu nervo excussa, ipsum
 Dei pectus ferit, et pectenerum vulnus e corde saucio e-
 ducit fontes gratiarum, quibus copiose irrigatum ani-
 mae arvom, se ipso in dies pinguis feracisque
 omnem divini influxus sementem in uberissimam
 virtutum operumque Deo acceptorum frugem educit.

Sed nos tandem olivam nostram aevum suum
 passam impleta iam mensura sua effoetam tumu-
 lo inferamus. Quod hic terrarum agunt hortulani
 calidioris coelo ac patu gaudentibus ficulneis, abis-
 que non facile glaciam auram hiemisque rigorem
 ferentibus arbutis et fruticibus, id oliva nostra
 actum. Patulam illi scrobem parant et hieme iam
 pro foribus obvertante foliis orbatae sepeliunt mul-
 toque fimo obruunt, ut eo terrae coenique aggestu
 foetae in novam primo vere vitam exeant. Pereundum

erat olivae nostrae, ne periret, moriendum, ne moreretur, ponenda vita, ut viveret. Fructus illos perpetuo vernantis vitae dare non potuit, nisi hic defossa, mortale quod gesserat, eueret, tantoque purior a morte in novam foeturam animata, fructum deinceps ferret exultationis in plantariis caelestibus in perpetuas aeternitates.

Dabat oleum, dum aetas sivit, quo lueit, pavit, lenivit virtute, opere, verbo exhilarans faciem in oleo, vulnera unctioe manū fovens ac sanans admixto cum Samaritano evangelico blandissimae correptionis vino, lassos in via Dei adhortatione erigens, atque ad currendam viam mandatorum ad peragenda opera Dei ad praehanda proelia domini, fortes in victosque athletas unctioe reddens. Quid ergo superest nisi ut tota aeternitate quasi olivae sit gloria eius? In hanc e terris transita inducto virore novo, nova vita oliva nostra, quae hic erat lux hominum, ibi fulgebit ut sol, quae hic pavit, illic pascetur, succis divinis inpinguabitur, quae hic lenivit, illic fovabitur blandissimaeque manu remota omni putatione oliva gloriae perpetuo virore vitaeque coronabitur.

Supremo morbo pinguedinem naturam quantumvis iam cortice flavida comis fluxens ac depexa non deseruit sed velut agonista Olympius in supremam luctam unctus alacriter cum antagonistis doloribus congressus palmam tulit. Pulcherrimum victoriae genus est, vincere moriendo: Triumphoso sepeliri.

Non tu cum victorem putes militem, qui humi stratus sanguine fluit, de genu pugnans circumstantes in orbem hostes ferit, sternit paucius integrum, herbam dum mordet hosti eripit, magnam nec visis per ingentia vulnera exituram diu agit animam, tandemque cum ultimo sanguine purpuratam fortiter excedere iubet, immoritur victoriae, plausum et acclamatum triumphale. "Ic' vicit!" emoriente iam aere excipit per que ora virum laudum praeconis fortiter occumbens in coelum usque fertur. O Noster agonista sic vicit cadendo. Nec enim aliter mortales luctatores vincimus, quam commissi cum ultimorum dolorum agmine, ultimam illam pugnam strati iacentesque strenue depugnamus mortale hoc indumentum deponentes nudos in vulnera nos morti praebemus perque dolores et ingentia vulnera morbosque victricem animam

fortiter emittimus. Unctus igitur pugil noster sacramentali oleo panisque fortium in ultimum congressum roboratus, excepto fortiter decretorio ictu stantem in cadente corpore animam in munerarii et agonosthetae manus caelestibus agonismatis tota aeternitate decorandam Praegae transfudit. Anno salutis humanae 1647. aetatis altero supra quinquagesimum pridie Nonas Martiarum sepultus est luctu omnium eoque loco depositus, ubi hodie priores in choro consistunt. Teri premigne mortuus etiam pedibus voluit, qui unius omnium minimus haberi, infra pedes omnium esse optavit. Epitaphium ei ex tempore lusimus sicca manibus coeli indigetis vena ut tenues Jovi molabitates:

Hic jacet ille comes, qui mundum et gentica sprevit
 Stemmata qui Christi pauper is esse comes
 Eligit; ignota versari obiectus erismo
 Et lustris abdi, quam male suada sequi
 Gaudia fallentis, morientis funera mundi
 Vivere condiscens sic sibi sicque Deo.
 Miraris coeli tectis post fata receptum
 Hac nunquam vivens abfuit ille Idmo.

Caput IV. tum

Indiculus rerum capituli.

P. Laurentius Wartemberger in prioratu Wilhelmo demortuo subjectus. Eius calamitas. Translatio in aliam praefecturam. Ratio vitae ac denique mors.

Numerus primus.

Laurentius Wartembergius in prioratu Wilhelmo succedit. Qui oleam in Jo: Guilielmo Ortenburgio dedimus, palmam in successore Laurentio exhibebimus, cui is certaminis arena decedens, ut suere prisci athletae locum esset cum dicto: Tibi lampada trado. Longum tamen et annum fere, quam hic fasces capesseret intercessit inter regnum nemine facile reperiundo, qui Spartam istam tam exulceratis adeo tota Germania rebus, non iam ornandam, sed tuendam susciperet. Curas interiorum rerum omnium unus Pater Josephus Maria Schmelius Procurator, capulae hodie silicernium, exactaque aevi senecio universae huius provinciae senior professus sustinuit. Sed tandem Februario mense anni 1648. hoc pondus fugientiae praelaturae in palmam nostram incubuit. Quam tamen tibi hic non premi nesciam non a pondere celsiorem non idumaeam exaltata in caedes, non Palaestynam Assyriamve

sed Maldiviam seu Indicam ditemillam, et quae sibi ipsa in mercem navim onusque sufficiat exhibebimus. Navigat insigni naturae portento portusque petit et portata et portans optimam multiplicemque mercem se ipsam vehens palma de qua Pigaffetta, Boterus, Shaffaeus mira quaedam tractant. Celsa cum primis est et cuius capacissimae navi malum datura, comis, laeta ac virens, magnitudine sua ac robore fructus mira pulchritudine et utilitate caeteras arbores omnes facile antecit ac totam inter lignorum gentem tantum se effert, quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Sola ea copia producit omnem materiam ut navis integra fabre fieri, mercibusque ex se ipsa provenientibus onerari possit. Fructus fert peponibus aut capiti humano non absimiles, saporis scitissimi, coeco incolis dictum. Cortices gemini, quorum alter tortile textileque tormentum in vela rudentes ac nauticos funes praebet, alter praedurus, odoris gratissimi in scyphos et calices tonatilis est, interiora muniunt. Falpa ejus seu medulla interior pingue quiddam stillat, quod omne olei officium egregie implet. Fructus eius dum viret, limpidissimam continet lympham myristicam, quae

intemperanter etiam pota nusquam officit. Ramus eius in modum curvatus et recisus liquorem stillat, ex quo varia arte saccharum, vinum oleum, lac et acetum conficitur. Pro arboris prodigium! Una plurimarum instat cibum, potum, delicias, condimentum, vestem, domum, quicquid nautici instrumenti est, navim denique ipsam praebet, mille ut sic dicam, usibus apta.

Profecto dignissima, quam ligna Palaestina prae ficu oliva, vite ad imperium vocent. Quod enim praebent singulae, quod omnes, hoc una haec arborum regina eminenti analogia, quasi huc plerarumque aliarum arborum utilitates in compendium natura redegit, exhibet. Unde hoc non immerito quispiam sacrorum oratorum hoc ei lemma inscripsit ad omnia utilis.

Lata est palma nostra solo, cui heu! Sol veritatis dudum deluit: stabulo male doctrina lutherica cohaerentis arenae Parthenopoli seu hagdemburgo sacrorum, ferosa ille centuriatorum sede, qui deperis et obsoletis veterum errorum laciniis in unum centonem consarcivere mille mendacis erroribusque mille partem ecclesiasticam historiam. Tam taetra, sterili alienaque a foecundante omnia coelesti lumine humo

adlescere palmula nostra non potuit: facto transitu ad
 pingvia Germaniae Christi ecclesiae rura, tum primum
 explicatis laetissime comis ostendit, quos paritura esset in
 tempore suo fructus. Confecto philosophiae curriculo Romae
 in germanico collegio eos fecit in theologia divinarumque
 disciplinarum cognitione progressus, ut multos coevos con-
 tubernales longo post se intervallo relinqueret. In natale so-
 lum Germaniam primum vecta merces doctrinae pietatis-
 que Romanae palma nostra innoxia, quae ante mox a pri-
 more intuitu summus aequae ac minoribus in pretio fue-
 re, ut quisque pro se aestimationem adicerent et palmam
 hanc certatim coronatum irent. Collegii ergo Halber-
 stadiani, canonicorum cathedralis ecclesiae (quae heu ae-
 vo nostro devit atque in Lutherici gregis haram aut the-
 ologiae stabulum versa, Herculis cuius extra piam labores, qui-
 bus a caeno et purgamenti purgetur, desiderat) canoni-
 cum dixere, ut ab hoc velut imo stipite ad summum
 pulcherrimi apicis palma excresceret. Eloquentiae lae sac-
 charatas mellitas Atticaeque morum castigatissimorum
 cupedias, recondito sapore Cretica, Setia, Caecuba excedens,
 multiplicis doctrinae ac sapientiae vinum, oleum lu-
 cens unguisque exemplo verbo vita acetum acrioribus

in vitia invecivis fundebat, haec pretiosa numera Germaniae principibus, electori, potissimum Moguntino in paucis clarus aestimatusque. Accessit eruditioni variae linguarum peregrinatio, ne hausta multarum nationum cognitio. Magni olim habitus fuit virus Hieronymus, quod trium linguarum peritissimus esset. Noster Laurentius palmam merito tulit, qui septem omnino linguas vernaculas sibi fecit. Nam praeter suam cum lacte Germanam, latinam, graecam, hebraeam, italicam, gallicam, hispanicamque vasto illo memoriae sinu complexus est. Extat in Bibliotheca Gemnicana liber m. s. quem in latinum e gallico idiomate transtulerat „Stubicum cum Christo“ comparans, dignus a tenebris in lucem vindicari, si aestimatorem haberet.

Plurimas Europae Africaeque regiones adit, bis terve mare Mediterraneum emensus. Italiam, Siciliam, Aethi-
 -liam, Galliam, Hispaniam, insulas Mediterraneas, Aegyptum celebratamque illam gentium historicis Memphis, hodiernam Caxum, insanas pharaonum moles, veterisque Babyloniae ruinas lustravit. Palaestinam, Syriam, penitoremque Asiam etiam aditurus ni fata vetassent, obseptis bello pestilentibusque contagio omnibus

vis. Quidni igitur tam preciosis rarisque mercibus palma haec ubivis terrarum pretium aestimationemque summam inveniret? Placuit adolescens virque senexque omnibus, et his adminiculis si animo sedisset, ad summa quaeque eniti poterat.

Sed vi, fragrantia foedaque in hoc dignitatum solo navigantium conspiciens naufragia unice id unum meditabatur, qui ex incerta iactatione inter Scyllas et Charybides dubie euntem, nisi tutam stationem ratem suam subduceret. Prospectabat e longinquo varias sacrarum religionum pharos portus ac litora tuta ostentantes. Sed quassa iam senioque ac carie hians navis tantam undarum mundi hujus acceperat, ut praegravata pondere destinatas hac illac oras tenere non potuerit. Donec tandem forti animo ac opera exhaustis, quae presserant aquis terrenarum cupiditatum et assuetudinum mole se exemit portumque tutissimum Gemmicanae Cartujnae ab humanae consuetudinis ab ~~humanae~~ ventis precellisque minantium caelo Alpium iugis egregie munitum anno saeculi huius 1644. viridi senecta vir intravit ac protinus omnia, quae ei lucra fuerant reputans ut stercorea ex lege canonis sibi vivendum

statuit, ubi legerat: Vere serioque paenitentibus renuncian-
dum seculo est, somno ipsi minus indulgendum,
quam natura postulat, interpellandus est gemitibus, in-
terruempendus est suspiciis, seque strandus est orationi-
bus: vivendum ita, ut in tali vita huic moriatur
usui se ipsum homo sibi abneget et totus mutetur.

Nihil magis, inquit Cicero, cavendum est senectute,
quam ne languori se ac deridiae dedat. Cavet hoc
senex noster. Vidisses illum nihil veteris hominis, ni-
hil senis retinentem tantum mutatum ab illo se-
nem, mutata fortitudine cum iuvenibus in stadio re-
ligiosae exercitationis alacrem volucrumque decurrentem re-
ligiosa observantia, rigore vitae, virtutum studio certan-
tem, multisque palmam praecipientem, quoque lassae ver-
gentis aetatis comiti vires extimuerant, animi ardore per-
tingentem. Multum de se deque opinione sui seu pensim
detumescens aura famae inflatus follis (sic) remittebat
quotidie. Nam Plutarchi sententia quemadmodum e vasis
liquorem aliquem recipientibus aer inanis expellitur,
sic qui in philosophiae studio veris replentur bonis,
factum exiunt mistioremque de se concipiunt opinio-
nem, parum iam barbaram jactantes et pallium, dum

omne studium ad interiora transfertur.

Eorum quoque haerebat vestigiis, qui verae sapientiae studio dediti sibi severiores fiunt magisque rigidi aliis contra benigni et placidi denique non usurpant solitam philosophiae gloriam insignemque nomen: sed in mutuis colloquiis dum super ea re incidit sermo, abunde satisfactum est, si quis bonae indolis novitius praedicetur. Ita senecio noster bonae indolis novitius per contemptum sui in alta succrescens, non iam venditare merces ampullatusve dilatatis philacteriis incedere, non plausum, non auram famae captare factis, contentus cum Agesilao bona sua secum circumferre, abunde magnus buccinator ipsemet sibi.

Laetabatur ex animo, quod testis sibi esset idoneus spectatorque bonorum intus rationem certo sibi commorari ostendens jamque egisse virtutem radices, posteaquam ineta Democritum adsuevit ex sese voluptatem capere. Habitabat igitur secum omneque ad se componendum negotium transtulit. Et vero id ita ex sententia omnium, ut prodesse aliis posse, qui tam praeclare praeesse sibi potuisset, existimaretur. Orbata namque pastore per decemum Antonii Oberecheri.

Jennicana domo, ni per legis Cartusianas, quae immaturum praesidio censent toto triennio non professum steterisset, omnium in eum iudicia inclinabant. Annus enimvero defuit, ut inter ligna promoveretur adultae virtutis palma: quod tandem effectum anno 1648 insequente Waldicium itaque regendum suscepit eo ipso anno, quo in Bohemia, capta non tam astu aut viribus Königs-marci Suedici ductoris, quam socordia praefecti, et prodicione suorum Praga minore oppugnataque totis Svecorum viribus Maiore urbe omnia rerum Bohemarum sursum ac deorsum euntium versatione miscbantur. Erant tempora, quae palmam postulabant ferendis tot malis parem, quibus facile alii succubissent, quam favente votis numine obtinere.

Numerus II duo.

Laurentii prioris domusque universae eo priore misere et calamitosa status: Pace facta intabulatio bonorum procurata.

Ut provinciam sane difficilem adit Laurentius prior omnia tota domo hac misere stantia, mutantha, in casum proclivis reperit: Aeris item alieni plurimum,

proprii nihil. Quid ageret hoste omnia obtinente atque exactionibus intimas etiam medullas exurgente? Eleganter Seneca Bionem loqui existimat, dum ait: non minus molestum esse calvis, quam comatis pilos velli. At pace utriusque sapientis si dictum hoc ad rem nummaricam fortunaeque bona transferamus, impari longe dolore pauperi divitiisque hi fortunae velluntur pili, dum illi supremus assis, huic e prementibus areas divitiis talenta extrahuntur.

Certe Laurentio nostro, cui tam calva fortuna fuit, ingens sensus fuit, et pauculos proprios, et quidquid aliunde mutuatum est, pilorum velli. Dum ita depilatus omnia circumspicit, unde nudam vestiret calvam. Opportune quispiam se obtulit, qui summa aliquanta, antiquatos fere iam certe dudum praebere desitos census annuos praesenti aere redimeret. Cessit necessitati Laurentius, et licet non sine posteritatis vulnere succisa spe fructus, qui melioribus annis inde legi potuissent, pecuniam militibus maiore sui parte cessuram acceptavit, eoque pacto tantisper extrema levatus inopia geniales debitas sibi fecit, quas ipse epistola ad procuratorem Jemnicensem 16. Julii data anno 1648

describit. Sane secundario, ait, et cerevisia tenui cerebro
 frequenter convivium, ut necessarium magnopere non sit
 abstinentiam nobis indicere specialem. Seneciana aut
 Pythagorica haec erant sine mensa prandia, post quae
 non essent lavandae manus. Statum vero suum, suo-
 rumque ac domus totius, his verbis eadem epistola com-
 plectus est. Expositi sumus omnium rapinis, et licet con-
 tributiones domus non modicas, utrique parti, Sue-
 cis videlicet et caesarianis, vix tamen ulla nocte se-
 cure dormimus. Ante paucos dies octo nobis boves ab-
 egerunt. Equos vix ullos permittunt intactos, ut ut sint
 strigosi, caeci et claudi, servient tamen eorum libidini
 et ita ad extremam nos redigunt paupertatem. Ex pat-
 ribus vix ullus est, qui praeter vestem habeat, quo se de
 nocte tegat. Ego super nudo sacco stramineo fessa mem-
 bra repono paupertatis cultor si unquam alias, et quae
 nauseabam aliquando Jemnici iam sunt in deliciis.
 Huc usque ille delicias suas et caece ambitos multis
 praelaturae honores commodaque percenset. Pace demum
 sub finem anni eiusdem inter Caesarem et Suecos mo-
 nasterii Westphalorum, iniuriis plurimum rei catholi-
 cae legibus, paucita, deriere hostilia Sueci, atque ab op-

pugnata nequiquam Praga variaque arte tentatis infirmissimis illis veteribus eius Pergamis incertum an victores evasisent, deductis castris abscessere. Nihilotamen minus contributiones exactionesque numerariae eundem, quem ante tenere gradum: viatico nimirum comite in discessum e Bohemis instrui debere amici iam ex hostibus ac hospites.

Respiravit ea pace paululum etri Laurentius, qui a concepto altè vulnere sauciam rem domesticam illico id sanitatem reducere non posset a formidatis tamen malis animum in serenitatem asseruit et super vacuis curis levavit. Imo et altiores spiritus haurit in praeclaros et profuturos toti posteritati ausus. In iuria temporum dilata vel neglecta in regni tabulas fundationis fundorumque vi donationis caesarea relatio seu instabulatio, ut vulgo hic loquimur, manserat, ex quo permultas saepe nōmero oriri difficultates fuerat necesse. Quae enim bona cuiuscunque huius regni status ac ordinis hominum tabulis inserta non sunt, eorum dubia adhuc est dominis possessio, nec e indigenarum civiumve regni ordine censentur. Magno igitur animo rem aggressus Laurentius

prior aspirantibus divo divoque caesare effecit, ut recepto patriae ritu omnis coenobii huius possessio singillatim tabulis regni inscriberetur. Tumque primum Cartusiani Waldicenses Bohemiae regni indubitati ex inquilinis cives audire.

Numerus 3^{us}.

Laurentii prioris alio et praefectura
Waldiciana translatio.

Hac cura defuncto aliae innumerae omni ex parte sese infundebant, ancipiti qua primum parte eas vel suffugeret vel relevaret. Quocumque enim convertebat oculos, immensi vulnere saucia praesentemque opem flagrantia omnia intuebatur. Ad curarum agmen accessit praedurus perque difficilis a militari indole pedere nescius; Stornoviae ac vicini nepagi dynasta Lamboyus, qui 18 fl. millia fabricae templi huius coenobii aliisque usibus a divo caesare Ferdinando attributa seu partim pensitare seu pendere universim abnuebat, pendere. Fluxere tempora, anni, succrevit census summis saepe necessitatibus, vel partem orabatur: at is tergiversatione, neglectu,

procrastinatione, visu, navortio sale et felle nonnunquam resperso, petitores eluserat aut reiecerat, nec se-
 veriore affatu mitior, pridem minas verborumque
 fulmina, cum excussis aeneo coelo fulgetris contem-
 nere suetus, quicquam orantibus concedebat. Quid igitur
 ageret genio mitiore vir tantum inter malleum
 incudem tantam positus? Litē intentaret ac in
 arenam descendens committeretur cum homine, cui
 opes, robur, animosque fecerant ipse in numis, in-
 ops, lodrus, pecunia nulla partus, verum si quidem
 illud ubique est:

Qui caret argento, frustra utitur argumento!

Audiebat loquentem sibi in aurem divinum sapi-
 entem: Ne litiges cum homine potente. Abstine a lite
 et minues peccata, et Paulum: Servum Dei litigare
 non oportet, ergo jacet, diffidit, abjicit hastam. Tu-
 dit forte quendam iam veterum olim rogantem
 unum quemque:

Te precor ut revites noxia toxica lites
 Causi dieique solos disce cavere dolos;
 Hic spectat plenam numis parcire crumenam
 Sed male parata fluunt, ut male structa ruunt.

Palmam se meminit. Malum, quod avertere non po-
 tuit, tulit. Maluit demum transferre in laxatiorum,
 robustiore animo, torosiore pectore virum luctam, quam
 pedem conferre pumilio ipse cum clypeato Hercule di-
 menso opum marum sarto, amicitis ac potentia
 pravalido. Is fuit vir magni animi rerumque usu
 polens, Franciscus Herbst, illius Viti Herbstii, cuius
 industria Cartusia Erfordiensis inter publicas rei
 catholicae minas bello germanico stetit, frater germa-
 nus e prioratu Erfordiano huc decreto comitorum ca-
 pituli generalis translatus. Suffectus est in eius locum
 Erfordiensem videlicet prioratum noster Laurentius,
 ubi maius viri pretium et usus esset ac ne a divi-
 te palma abeamus, mercium eius maior esset aesti-
 matio. Veniebant eae magno illic omnibus viri
 dotes suspicientibus, sed is, qui haeserim omnem
 pessime oderat, margaritas suas ante porcos proi-
 cere abnebat, locumque ipsum perosus in Inal-
 zensem Tyrolensis comitatus Cartusiam transiit. In-
 de non longe post conspectiorum in locum velut can-
 delabrum, illustrissimam victoriae Ferdinandi III. im-
 peratoris clarissimae urbis Ratisbonae Cartusiam

impositus, magnam sui apud summos quoque Germania-
niae proceres ipsosque adeo per comitiarum tempora
illuc rem publicam ordinare solitos principes, electores
peperit existimationem sic, ut non nunquam in-
terpolatis publicae rei curis, animi gratia ceu Tus-
culanos recessus, aut Campana litora, ad Cartusianae
solitudinis sacra secreto silentioque Tempe recessu
facto plurimum viri gravis et eruditi, sermonibus,
moribus ac consuetudine caperentur.

Sed intricata ibi etiam erant omnia. Debitis ultra
verticem mersa domus, quot creditores, tot hostes numera-
vit occursum ac facie ipsa terrificos, quorum aspectus de-
clinare adire volentes commento ludere, neminem esse do-
ni iubere nunciari, simulare absentiam oportuit. Ita
nimirum quisquis nomina fecit, quos creditores amicos
habuit, hostes debendo fecit. Heu res mortalium! Time-
re frequenter suum beneficium debet, qui dedit. Ipsa,
quae arctius connectere animos debuerant beneficia
dissociant! Appellati subinde, solenter eo velut filo ser-
mone deducti principes, exhausta sibi bellis aeraria cau-
sabantur. Domi coacta in arctum res familiaris cur-
ta aut prope nulla suppellex exiguum, quod e re agraria

ac zytho propinato obvenerat, vix aliquantam faeno-
 ris partem expungebat, salo denique innabat, tot omni
 ex parte fluctibus in eum se inferentibus, ut qua e tam
 naufrago freto emergere posset opum assidue apud supe-
 ros ac superiores imploraret. Audire tandem tot pul-
 sati arietibus vota superi ac superiores atque imparem
 iam arenae gladiatorem frigente penio sanguine len-
 tum rursus donavere. Sic palma nostra ubi primum sa-
 ta religione adoleverat in Germanicam Carturiam
 reecta est, ut illic quicquid lucii mercibus suis, per
 tot emporia circumvectis collegisset, deponeret gemi-
 nataque toties solerti negotiatione tabenta inde coelo,
 unde credita fuerant, inferret.

Numerus 4 tus.

Laurentii Wartembergii hac vita decessus.

Toti viro omne solum patriam esse debere, ac mo-
 nacho imprimis, qui omne sibi solum patriae fuga
 et contemptu patriam fecit, censere sapientes. Dulce
 tamen est patrio sepulchro condere, ultimum illic
 claudere diem, ubi in lucem editus spectavit pri-
 mum. Obiit feliciter semper optant. Laurentio Gma-

nicana domo, ubi prima religiosae vitae cunabula
 ortusque habuit, denasci, ut mox dicemus. Eo reiectus,
 donec sivere vires fluentes iam annis et sidente in di-
 es calore torpidae, praeclara virtutis et religiosae vitae
 videbat specimina, spectaculum ac speculum virtutis
 in effrata omnibus factus, nihil ut rigore observan-
 tiae, austeritate vitae, sui acri custodia et frenandi
 studio cuiquam iuvenum concederet. Variis morbis,
podagra imprimis, molesto sane et urenti malo ante
 mortem exercitus, palma fuit patientia fortis ac heroa,
 deprensens interim ^{per}otium, quod indulgere dolores ad
 solamen aut levamen eorundem de thesauro suo no-
 va et vetera, pios religionem ac devotionem spirantes
 libellos, qui manuscripti extant Gemnici. Quicquid
 tota vita profecit, lucrive e tot talentis fecit, morti
 crediturum se sciens non timide componebatur ad
 illum diem, qui remotis strophis ac fucis de homi-
 ne pronunciat. Quidnamque egerit, homo tunc ap-
 paret, cum animam agit. Magna ergo fiducia
 cum vate Mantuano:

- - - non ulla laborum
 Ovirgo nova mi facies inopinave surgit

Omnia praecipere, atque animo mecum ipse peregi.

Tu hodie ultimam mihi lineam rerum denuncias? Ego semper denunciavi mihi: hominem parari ad humana. Praecogitati mali mollis ritus venit. Mala, quae denuncias levia feci diu cogitando. Moriendum hodie est? Hoc omni die feci: cum vivere discerem, docebar mori. Moriar ergo? Legi pareo. Mors naturae lex est, tributum officiumque mortalium, malorum humanae vitae seu remedium seu finis. Optare illam potest, quisquis timet. Omnibus omissis hoc unum dudum meditabar, ne mortis nomen reformidem, effeci itaque illam mihi multa cogitatione eo usque familiarem, ut eum adveniri possem illi vel obviam exire. Frustra sponte existuro immines, amica venis, frustra terres: ostendentur alii.

Terribiles visu formae laetumque laborque. Visu haec terribilia sunt, non re. Rem ego praesentem ago, pono exuvias volens, volentem iubeo exire animam. Quid ni id ageret vir ille ingi domini expectatione succinctus ac vigil, qui tam bene vivere seivit, qui omnem diem suum fecerat, quia morti parabat, qui omne in eo studium posuit, ut hora illa, qua de

aeternitate mors decerneret, in expedito animum haberet et cum omnibus bonis laetam emitteret et excurrentem hortaretur, vade fortiter, vade feliciter? Hoc fecit, emisit eam fortiter, emisit feliciter, abiit illa fortiter, feliciter. Fortiter, quia ultimum malorum mortem cum sprevit, vicit. Feliciter, quia illam intermirabilis vitae possessionem adiit.

Quod ultimum malorum hoc primum bonorum habuit idemque ei praestitit mors, quod corpori humano ex philosophorum placitis privatio, quae principiat primo sui non esse, vel ultimo esse, ita ut cum ultimum est, tuncque mortuale moriente visu adhuc defigit. Tam incipiat vitae illae ac status omnium bonorum aggregatione perfectus, illa interminabilis vitae tota simul ac perfecta possessio. Sed nos in palma finiamus. Haec ergo his terris varie vaga peregrinaeque rades litora coeli portus,posito corpore, quo opertus animus e confusis crassisque pura et la ac liquida, unde dimissus fuerat, dudum anhelans nitebatur semper intravit illuc merces, illuc mercium precia, talentorum auctus ac lucra talenta superlucrata intulit, illuc transsita, ubi non movebitur in aeternum. Tevo grandi vix a palma non abluvit, quae aevum

egregie fert multiplicans, ut palma dies suos; tamen ad
 aevum palmae hominum longa etiam aetas infantia sit.
 In senectute bona coram cunctis fratribus suis obiit presby-
 ter iubilatus, septuagenario sexennio fere maior. Si fortasse
 pro conditione humana nusquam ita noxae pura, ita ab-
 soluta, ut non quiddam naevi pulveris et contagii a ci-
 mosa domo adhaerescat paululum abicubi obhaesit; dum
 expurgat inhaerentia vitia, intumque omnis mortalis ae-
 vi excutit: tamen ut speramus, ad excelsa sublatus in-
 ter felices curvit animas. Decessit anno 1664. praeclara
 cui apud omnes memoria relicta.

Caput V. tum.

Synopsis contentorum hoc capite: Pater Franciscus Herb-
 stius succedit Laurentio. Eius magnanimitas in ad-
 versis. Templi structura. Industria eius domus incremen-
 ta sumit. Eius in egenos ac subditos benignitas. Tunc
 obitus.

Numerus 1 mus.

Francisci Herbsti in prioratu Waldicensi successio.
 Palmam sedruis sequitur altum quiddam omni aeta-
 te et sublime spirans Franciscus Herbstius operum numero

et praestantia velut cedrus Libani multiplicata. Francia
 orientalis ei natale solum fuit, ubi et in meliorem vi-
 tam renatus admodum adolescens Brunoniana signa se-
 cutus Cartusianae militiae cingulum induit audaci
 in horrida bella in immittes saevosque hostes et doloret
 vi, ingenio ac misque certantes auctoramento. Sed
 omnia pericula vincit explicatus nec in se nimia
 cura contortus aut socordia supinus veterinosae men-
 tis senio animus, qui in omnem partem vigilat,
 qui omnia providet, ne qua ictus veniat, cuius vul-
 neri curando difficiles inventu sint herbae. Omnia
 expugnat pertinax opera et intenta ac diligens cura.
 Robora in rectum quamvis flexa revocabis inobistorum
 atque annis duratorum fugabis vitia, si forti utaris
 animo, ingenio et manu. Curvatas trabes calor expli-
 cat et aliter natae in id finguntur, quod usus
 noster exigit. Quanto facilius animus accipit for-
 mam, flexibilis et omni humore obsequentior si im-
 perare tibi noris? Qui modo duci refugit, perge ne
 desinas urgere et invitare, cum opus est, sequetur
 et ad quod volueris ultro praebit. Sic adolescens
 noster fortiter in se animatus operam dedit, ut

obsequentem se haberet sibi, sicque alacer, volens ac expeditus curreret viam mandatorum Dei.

Saevientibus late per Germaniam bellis, varia sorte agitatedus, magnam partem extorris patria evabunda alio aliunde commigratione ecul peregre egit. Iterato etiam per temporum intervalla huius Waldicianae domus incolae et procurator sedulus adeo rerumque satagens, ut Buseckius protoprior etiamnum iuvenilibus annis venantem ac tenerum prima tamen in herba robur iam viri ostentantem a decessu suo successorem sibi designaret. Sed aliter recinere fata. Defigi altius virtus debuit, ut in minime dubium robur firmitudinemque duraretur. Propendent in ruinam, quae sine radice alte in imo solidata succrevere.

Anno igitur Domini 1650. alibi iam Ephordiae videlicet Turingorum periculo virium facto, onus quod palma ferre non potuit, ipse magno animo, par iam magnis, voluntate superiorum in se transtulit, tamque viriliter tulit, ut merito rerum Cartusiae huius in ruinam propendentium Atlas a posteris audiat et firmamentum domus. Erant res domesticae, ut multis ante memoravimus a bellorum iniuriis infirmae adeo

et tenues, ut quoquo se verteret, omnia curationem ex-
 peterent. Villae pecoris maioris minorisque inanes, pa-
 gi colonis aut profugis aut emortuis vasti, agri inculti,
 dumis ac paliuro obsiti, domi vacui penus, denique omni-
 a ita debilia ac pendentia, ut unius viri lacertos non fa-
 tigatura solum, sed fractura viderentur. Verum ingentis
 spiritus redius nostra erexit se contra, tantoque animo
 ac viribus mutantem domum ruinamque hanc in
 manibus suis complexus est, ut non longo post tempo-
 re conspiceretur.

Numerus II duo.

Francisci prioris magnanimitas in vincendis adver-
 sis et solertia in agendis.

Rebus tam immaniter sauciis aliunde medicina peti
 non potuit, quam a magna illa medica Teo pancresti-
 ca pecunia, quae sanat, stabilit firmatque humana
 omnia. Nihil potuere initio, non unctae auro quocun-
 que admotae manus, nec valere in ulcera, quae edo-
 mari nullo potuere, nisi multo auri pollice insper-
 sa. Id vero cum aliunde sperari non posset e silici
 elici debuit, praeduro illo nihil aliud quolibet a-
 tritu hactenus nisi irarum ignes dante comite

Lamboyo. Haec illi fuerunt curarum operumque primordia aut cunabula, in quibus velut Hercules aetere vires exseruit, ut ab his unguiculis facile agnosci posset, qualis leo futurus esset. Et vero leo hic indutus virtute ex alto ad nullius pavebat occursum. Magno animo ad ipsius divi caesaris Ferdinandi III. maiestatis sacra se penetravit, oravitque, quod angustus parens Ferdinandus in fundatoris tabulis posteros augustae domus obtestabatur, fundationi caesareae opem caesaream ferri. Nec dicto parentis optimi parum audiens fuit, optimus filius magni magnus pater pius: sed omni mora remota armatum decreto executorio in Bohemos remisit Franciscum severe edicens iubensque operam darent, qui rebus praerant, ut summa censusque, qui procrastinatione et neglectu solutionis increverat, integre Cartuniae caesareae solvantur. Cecidere datae sublimis incedenti cristae adversario, iamque mitiora edoctus amice transiit, vicena tria millia florenorum solvenda ab se certis intervallis, seu ut loquimur terminis, pactus.

Copiam inopiae, et ex adverso inopiam copiae matrem fieri certum quotidianis experimentis non

paradoxum est, nec falso scribit poeta:

... inopem me copia fecit. Facile in inopiam copia degenerat, dum qua data porta diffluit incuria, quod longus congestit labor. Alia felicitate ad tuendam felicitatem opus est et pro ipsis, quae successere, votis vota facienda. Non minore solertia opus est, ut copiosus fias, et ut maneat. Parae sunt divitiae, quas non egestas et fames et mendicitas a tergo sequatur nec magnis sunt intervallis divisa, sed horae momentum interest inter Dionysii sceptra opesque et ferulam. Inopia vero copiam gignit dum nervos animi curasque intendit, ut parum parvo additum magnos cumulet acervos. Neminem tam alte fortuna bonis excussit, cui non iterum manus porrigat levatumque velit, quem humi iacere non delectat. Redire potest, quod fugit.

Franciscus noster angustias fortunae solerter eluctatus iamque re numaria utcumque succinctus, principio debitorum serpens atque ad ima usque ossa rodens malum sanare aggressus, brevi sic profecit, ut eius mihi vi pensim remittente paupertatem non dubiam res exulceratae promittere vi-

derentur. Tum iacentem in eodem nosocomio penum
summa solertia levatum iovit. Inde agrariae rei de
cultu, de cura deque semente prospicit, alibi praedia
sarcit, pecore pecudibusque pro cuiusvis capacitate
ac usu implet; verbo universam rem aeconomicam
irrequieta cura, labore ac vigilantia intenta in om-
nia, quae usus posceret, sollicitudine praecclare attollit.
Redeuntis etiam ad rura ac villas colonis aliisque in
demortuorum locum successis operarum crescente nu-
mero, eo animi evasit, ut repositam neglectamque
sacrae aedis et ab aquilonari parte claustrum aedifica-
tionem resumeret. In haec tempora eam reponit, apud
quem non ulla est vicissitudinis temporum aut re-
rum e providentia eius destinato fluentium obum-
bratio.

Numerus 3^{us}.

Sacram aedem aliisque Franciscus prior extruit.
Ergo quod bonum, faustum decori Waldicio Deo im-
mortali gloriae, divi honori sit, iterum hic audiri mallei
et sicures, cadi latoniis saxa, saltibus roborata, caementa
convehi, audiri promiscuae iubentium et obsequentium vo-
ces, frequentes commearum operae, fervere opus. Fundamenta

100.

basilicae dudum posita pluximo enato gramine et dumo
operta iterum in lucem retegabantur. Nunquam a caetero ab-
luit Franciscus moxer, sed quae magno ferventique animo
aggressus fuit non impari calore prosequeretur, ne forte
saepe illo evangelico respernis cavilloque perstrictus fabu-
la fieret, audiretque: Quia hic homo coepit aedificare
et non potuit consummare. Semper contra omnia se oppo-
nenti erectus iovit, certus excipere fortiter, quaecumque se
ex adverso intulissent. Erat ei animus par periculis, quae
aeque intrepide adiit ac caute declinavit, nec lacessere
nec extimescere fortunam doctus. Non cothurnatus sub-
limisque incessit sed spiritu fortitudinis succinctus, il-
lus vatis regni fidenter & usurpabat, in Deo meo trans-
grediar murum. Et sane tempora illa reque talem ced-
rum postulabant, cui inniteretur, absque ea fuisset, non
ea qua hodie facie comptae, compositae, ordinataeque con-
spicerentur merito illi illud sapientis aptare possis in
vita sua suffulsiit domum. Facta templi iam, ut me-
moravimus parte superiori, fuere fundamenta sane
ampla, ingenti moli ferendae paria; tulissentque in-
dubitato visendam molem, si ut posita fuere, continuo
super aedificatum fuisset: nunc accidi bona latitudinis

parte placuit structurae latera, quum tam vastae aedi
 erigende sumptus non suppetent. Ea tamen ex hodiernae
 architectonices legibus eorum spissitudine servata, quae
 testudini, tectoque lvi e scindulis ferendo esset. Frons is
 angusta magnificentiam augusti fundatoris statuis,
 caelatisque saxi primo aspectu omnibus loqui debuerat.
 Stat hodie apice, semicolumnis e frontis plano porrectis
 ac coronide e pectili quadratoque lapide intercolumnia-
 lateritio opere nec splendoris multum nec abjectionis prae-
 ferunt. Eadem templi interior est facies nisi quod coro-
 nae et columnae prominentis structiles e laterculo sint,
 quas tamen superne e solido saxo epistolia caelatis Che-
 rubim fructus calathis subtermentum pendulis fer-
 dentibus pulchre ornant. Lapidis genus est, coloris ma-
 gis ad luteum e cinericio vergentis, quem subinde dilu-
 tioris rubeo candidoque venae insigni varietate inter-
 secant, adeo ut nonnullis partibus primo simplici-
 orum aspectui varium marmor blande mentiens egre-
 gie illudat. Tria in quolibet latere visuntur sacra-
 ria aut sacella, seu projecturae arcuatae, amplae
 pro statura aedis, debita item altitudine, fornicibus
 opere scutulato seu stucatorio non tamen eximia

arte seu limbis aut toenis in formam areolarum le-
 muriscatis. Choro seu odæo eadem, quæ templo facies,
 quod caelata e quernis tabulis insigni opere sedilia
 ornant. Ara princeps triumphatrici in coelum a terris
 assumptæ Virgini Deiparæ dicata evangelii lectorium,
 ut nos Cartusiani in more habemus, et ex adverso sa-
 cerdotis sedes, omnia radiante metallo micantia, di-
 tta auri, quorum cum materia certat opus, elegans sa-
 ne et a Minervæ dactu. Fenestrae lunatae hemisphe-
 ricæ supra coronam totam aedem circumambientem,
 et per sacella simili figura lumen in inferiora dis-
 pensat. Chorus tamen oblongas rectasque supra et subter
 coronæ cinctum habet. Porro ecclesiæ corpus et caput
 seu odæum ambitus testudinatus intersecat, ita ut
 prima ostia non immediate in chorum, sed ambi-
 tum pateant, per quem demum aliis portis statio illa
 divinarum præconiorum adytæque Dei cum homi-
 nibus habitationis velut sancta sanctorum adven-
 tur. Universim tota hæc sacra aedes pervenusta,
 verendo tamen aspectu est; ubi omnia mixtam sac-
 ro horrore sanctitudinem et mysticam illam Iula-
 mitem spirant. Quid videbis in pulamite nisi choos

castrorum? Decorem ordinis chori innuunt; micantes castrorum acies horrore concutunt animos intuentium. Sic coli vult. Deus amat mixtum timore obsequium. Sicerere quisque domum hanc conspicientium potest. Non est hic aliud nisi Domus Dei et porta coeli, cui dum volvitur axis orbis geminas illas non fabulosas Herculis Calpeu et Abylam sed Salamonaeas Booz et Jachin columnas subdi optamus, quibus mixta perstet, perduret, perpetuet. Jachin interpretes divinorum eloquiorum directionem seu rectitudinem, Booz firmitudinem roburque asserunt Hebraeis dici: o adpit directio ac rectitudo animorum cum mente supremam Deo conspivent cum legibus aeternis facta, spirent virtutis vivae vitam opera, bene est, adest Jachin, Booz abesse non poterit firmitudinis, manet aeternumque manebit Waldiciana numinis aeterni Domus haec. — — —

Caietanus geminis vaegrandium hisce columnarum, molibus gravidum grandaeque animi votum signasse Salomonem existimat, quasi is diceret: Utinam Deus, meum hoc templum, quasi suum Jachin dirigat et quasi suum Booz roborat, ut a nullo

hoste, a nullo fulmine deiiciatur. Utinam Deus diutissime hoc meum, imo suum templum tueatur, dirigat et confirmet. Haec ille. Hoc fac summe Deus, summa haec votorum cum Solymaeo rege nostrorum est, diutissime hoc tuum matrisque tuae magnae, amabilis et mirabilis templum tueere, dirige et confirma. Tuere tuere illa inexpugnabili, e qua mille clypei pendent omnis armatura fortium. Dirige virgulam fumi ex aromatis myrrhae et thuris mortificatae contemplationis. Confirma prece eius ac virtute, cuius fundamenta sunt in montibus sanctis. Illa tutrice nihil metuemus, directrice non erramus, firmatrice non commovebimur in aeternum.

Numerus IV. tus.

Augeatur Cartusia bono Solschicensi. Francisci
in egentes benignitas.

Dum domus Dei erigitur, cedrus nostra dilatari etiam, ramos frondesque latius expandere gestiebat. Semissis quippe alte radicibus per tempora pacatis rebus bene labentia, canoque illo ac fimo pecunia utcumque impingnatis, adducto in alta succo, et

in latera ac eminentia ramalia dispensato, vivere, vigere sicut cedrus Libani multiplicari videbatur. Sed mentiebatur opus nonnunquam agrorum, et arva nonnunquam agrorum et arva non afferebant cibum electioris tritici: unice ergo satagebat Franciscus, ut hac etiam parte flereret. Erat Sobschicense dominium Walsteinio olim et ab eius nece post Ferdinando caesari multo tempore contracto aere ac censu intertentato obligatum, quod totum optimus caesar Carturniae huic benigne donaverat. Monebatur loci dominus, ut debitum sensim expunctum iret, fluebant anni et tempora, crescebant cum faenore nomina, altius semper voragine hac bonus debitor mergebatur, iamque eo deventum erat, ut solvendae, nec parti essent. Ergo more patriae adduci sibi dominium hoc apud regis rebus praepositos orat Franciscus, sed ubi rem serio agi vidit Dohalskius, loci dominus, illico pacifice cum petitore transegit et loco cessit. Est Sobsichium pagus trium circiter horarum itinere a Carturna distans, opimo et felici cum primis solo, arvis eius ipsum faris numen fundentibus, cum domo editiore ac laxa, sede olim Dohalskiorum, eius loci dominorum

ae praedio sane amplo ac multi etiam pecoris capaci, minus accessione rei fumentariae panariaeque egregie consultum est.

Stabant res oeconomicae ubivis firmae, ipso omnibus minutis etiam quorum neglectus nunquam non rei domestica officit, intento inspectore sollicito, rigido exactore, iustitiae tamen distributivae usque memori, ut suum cuique cum tribuit suum et ipse accipiat. Nunquam tamen severus adeo visus, ut non iuris rigorem benignitate temperaret. Certe in pauperes egregie profusus d. Nicolai imitatione tacitas videri scirique fugitantes personatas nocte ac tenebris involutas saepenumero eleemosynas factitabat. Quos decumana inopia rotam circumspicere adegerat, quos aegra mens aut corpus cum aerumnis aut morborum dolorumve turba commisit, humana divitias auxilio solatisque destituit anquirebat et tecte taciteque praelargam stipem ascititio alieni nominis velo obductam submittebat. Tenuibus colonis, non illis, sero experrectis, ut Tyberius Attilium butam decoctorem cavillatus est, sed quibus parvus ager non suffecturam parum aurito ventri messem tulit, quos

dira viscerum fames, squalida paenoris egestas torsit, quos numerosa soboles e collo pendula, dulcibus amplexibus obsedit pressitque deditonem panis, quem ederent: hos inquam ille, nunc frumento, nunc obsonio, nunc aere in rationaria ac tabulas non referendo donabat; nunc irrecundiae potentium ultro obvians non oratus largiebatur plura, quam accipiens oraturus fuerat, aut daturus oratus: Illud tamen solemne epiphonema blandae compellatis adnectens, ora pro me et domo mea, ut agri fundant, quod porro in te aliosque tui similes fundi posset. Is vere evangelicus elemosinarius esset, noluit tuba canere ante se. Dum eleemonam agit, nescire iussit sinistram suam, quid dextra faceret.

In Peczkam profectum curvumque descendentem minuta aetas in ordines coacta (innocentium cohortes dixisses) obsidebat, viam non datura, nisi quam partita in singulos aera fecissent. Tum stipe donata in templum illico concedebat elata voce pro munifici largitoris domusque eius incolumitate vota factura. In usum suam verterat, dum seu aegritudine, seu necessitate aera incesseretur submissa larga stipe innocuos hos oratores adhibere apud divinum numen. Et plerumque

non repugnante armatis innocentia votis Deo quicquid volebat aerebatque, obtinuit. Quo enim non se penetra- ret illa oratio, cui eleemosyna viam fecit, cui miseri- cordia adyta ipsa divinorum viscerum reclusit? In ipsa, ut existimo, penetralia divini cordis, ut eo ex gazophylacio omnium bonorum, tollat, quicquid cupit, quicquid orat. Certe debitorem se edicto suo tabulisque evangelicis omnibus beneficiis agnoscit Deus, qui ait: Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis, cui si quid usquam creditum est foenebri auctu ad creditorem redit, adeo ut census, capitales summas capitibus multis excedant.

Nunquam miseri cordibus immisericors est Deus. Certat beneficiis commissis cum beneficio: nec in arena ista ab ullo Hercule se vinci patitur. Nulla d. Gregorii Nazianzeni effato nulla alia re inter omnes ita colitur De- us, ut misericordia neque alii cuiquam magis reper- ditur humanitas, quam humanitati. Cuiusque Christiani insigne, quo dignosci possit, est dilectio. Huius autem optima pars est pauperum amor et erga proximos miseri- cordia. Certet oportet beneficio, qui beneficium cupit. Unde fiebat ut ruentibus caelo gravibus nimbus oppressa,

aut grandineo verberata imbro praecipitata ac iacente
 aliis segete aut uredine perusta, infelicive siderata a-
 stro tenuata cassaque grano stante arista illi laete ri-
 derent sata et benigno sole excoctae.

- - - - - suspirarent horrea messes. Si forte quan-
 doque gravida procellis minaxque irarum satus in-
 cumberet nubes, erogata protinus in egenos largiore
 seu panaria seu granaria, seu vestiaria pecuniaria ve
 stipe plerumque potentissimo isto carmine vim ac
 ei omnem excantabat, aliisque avertebat. Nec raro
 seu iussam illico aliorum verti: suis intactis sege-
 tes messesque aliorum feriri sternique vidit. Existi-
 marim ego haud ab re cuius elemoni in beneficia
 proclivi, superbos illos Claudiam versus ex vero ap-
 tati posse; quamvis diverso pensu:

O nimium dilecte Deo tibi militat aëther:

Et coniventi fugiunt ad classica orationum venthi!

Iam vero suos domesticos non in postremas curas,
 ut praeposteri quidam suserere resicit, sed primas do-
 mesticis fidei apostoli monitu addixit. Sic, qui omnia
 alia, curas etiam optime dispensabat.

Statis temporibus monachos in claustris cellisque

invisabat necessitates singulorum explorabat, blande maestos solabatur, errantes commonebat officii, probos in ulteriora extendi hortabatur, segniores stimulo perurgebat, illum re, hunc verbo iuvabat, denique non mudo nomine, sed opere ac veritate praelatum pastorumque egit. Quorum namque causa caetera aguntur, potiores sibi curas vendicent oportet. Male externa curantur, si scire nolis, cui bono cuiusve grata cures.

Rideas sane laborantes insane illos excruciantesque praeposteris curis actum transversim animum, qui in id se curas sumpsisse rerum putant, ut curerent, ut congerant, acervos non sibi, non suis profuturos, pulchrum arbitrantur si circum se famulatrices spectentur ingentibus cumulis opes ac pecuniae, quas tamen velut heas attingi nefas sit, sed in oculorum tantum servitutis deliramenta servantur, perinde ut statuae, aut imagines. Natura pecuniae est, ut non nisi dum id et expenditur prosit, si iacet, tantum utilitatis habet, quantum ea, quae sicuti putrescunt aut ignorata mortibus intra terrae sinus abduntur. Nam ergo in naturam peccant ii, quibus potior nummi cura, quam hominis

est: quibus dum in usus, aut commoda, quid dico? Salutem ipsam subiecti emittendus est, manus intremunt, pallent ora, corque ipsum coacto ad se seu in concilium reliquo sanguine aestuat, palpitat, salit vix non exilit? Qui haec non sua negat, quibus debentur putas non negabit se; Quibus se debet? Qui in alieno fidelis non est, ait veritas, aio ego sordidus, tenax euchio, incubitor, pumex silexque, quod suum est quis credit ei?

Non is erat Franciscus noster, sed si qua necessitate laborantem conspexit e suo coetu virum ire fluere nemos iussit, et ad officium ac servitia indigentium sisti. Curandam sciens, cogendamque pecuniam, ut obsequatur, ut pedissequa sit, non dominatrix aut Lea, quam colas ac adores. Famula est, eat, quo ratio iussit, vocavit necessitas. Non se alium putabat Franciscus, quam eum, cui dispensatio credita est, oeconomum rei non suae administrum prorumque, cui promendum est, cum poseitur. Quamvis non parvus circa rerum solertia congestarum splendor funderetur, et intuentem ucentium bonorum non falsa lux verberaret, perinde sicut habuit, ut sol, qui totus alienis usibus lucet: non

se ob id circumspexit, non sibi in eo placuit, servari ea ab se in alienos usus cogitans, curare haec debere, ut sua expendere, ut aliena. Dispensatio mihi, aiebat, credita est, quod coacervaram non contracta fronte, non manu egeram, dispersam sponte, libenter, hilare, porrecte, quorum in usus in cumulo cojuvare. Recordatus verbi Domini Jesu dicentis: beatius est dare, quam accipere nihil infelicius illo esse censeo, qui omnem in accipiendo habendoque felicitatem posuit. Illo solo felices se praepositi rebus existiment, quod facultatem habeant, plurimis, quamvis non de suo, beneficiendi et de plurimis optime merendi.

Caeterum Franciscus prior id promptitudine sua effecit, ut ab omnibus bonus dispensator, prudens economus audiret et non insipienter profurus, sed nec stolide tenax, provide ac sapienter omnia ad necessitatis imperia et dictamina prudentiae distribuens medio tutissimus ibat, pulchre illa humanarum actionum moderatrice discretionem disponens omnia, ut nec temere ubi non oporteret, spargeret, nec ubi spargendum esset se contraheret, quod rarum admodum nigroque simillima cygno res est. Quem

mihi dabis, qui opibus multis circumfusus aut non eas
 profudit, ubi non oportuit, aut quo oportuit mittere nesciit
 vel neglexit; non multa nullos factura fructus proiecit non
 ubi sementis in messem exitura fuerat, parcus fuit aut
 perus aut inconsideratus aut malignus? Si usquam certe
 in religionis praesidibus turpissima est imperitia rerum, ad
 omnia, quae agi oportet, stupor aut inconsiderata temeritas,
 aut quemlibet impulsum secuta praecipitatio: nec scire
 nec posse pro re nata, nec se nec rebus uti. Unde ea fuit
 eo praeside oeconomiae ratio, is ordo rerum se mutuo con-
 sequentium, ut non praesire, quae sequi, non postrema esse,
 quae agmen ducere debuerant, viderentur. Sed omnia cer-
 tis legibus definita, ad amissim recti aequique exacta ad
 normam prudentiae in ordinem coacta, ceu horologii
 orbis, quos funiculi ac pondera ductant, composita sine
 improvido impactu aut obhaesione plano terroque iti-
 nere euncta plerumque stupere, quae laus in omni ho-
 minum genere, quam magna sit, nemo non videt. Sed
 non ille in se, non in domo, quasi non acceperit, sed in
 eo solo, unde omne datum, bonum et donum perfec-
 tum proficiscitur, patre luminum, qui sapientiae lu-
 mine illustrat quemque prout vult, gloriari voluit, nec

deses aut socors, muneri nimium fidens fuit, sed por-
recta in omnia cura ac sollicitudine se extendens, soci-
am gratiae operam commodans, gratiam tanto potentio-
rem sperosio-remque faciebat, illud Menandri audiens:

Beatus est opibus iungens industriam.

Numerus V. tus.

Aliqua adhuc Francisci prioris acta et actorum finis:
mors.

Sed nos diu a cedro abfuimus; ea ut ad se reverta-
mur odore, invitat. Odoram cedrum Plinius ali-
gnae naturae ruspatores dixerunt: et omnia odore trahunt. I-
mus ergo et cedrum sequimur aliquid novi odoris fun-
dentem. Sic tamen trahit quaedam, ut quaedam fuget,
nam sunt et quae odore trahuntur et quae fugantur.
Panthera odore innato feras minores trahit et haec tra-
hantur, sed in praedam. Heu nunquam non etiam
his, quae ratione carent, obfuit obsecutos cupiditatis fu-
isse! Sic omnia, quae alliciunt, quae cupidinem ci-
ent, venantur. Tutiora sunt, quae odore fugant, qua-
lem cedrum Plinius dixit, cui illud inscribi merito
lemnia possit: Invitat et arceat. Ea austro percussa, al-

tiore iam, et calore in altiora cogente succum solem, odorem adeohalat acrem, ut insecta, repentia, serpentina, angues, arastaeque ubi quidpiam eius hausere, diffugiant cavisque vis abundantur, aut si pertinaciores obstant, exanimantur.

Lites, serpentium genus virosissimum armatum veneno exitiali viperarum partum, cui frigidum illud d. Chrysostomi verbo „ meum et tuum mater est, esse nemo nescit. Quam nocuere lites saepenumero expertae sunt ultraeque litigantium et in mutua damna ac exitia armatorum partes. Periculosa exitiosaque proorsus pugna, ubi ipsa quandoque victoria obfuit et insanabili vulnere pavio iamque agenti animam herbam porrexit. At odora rudus nostra ubi quod serpentium huiuscemodi genus animosius in eam incurrit, litemve de proceritate de comis, de forma, de ritu de pinguiore humo aut umbra etiam forsitan ipsa intentare ausum fuit, solo vel odore fugabat.

Vicinitas potentium et potentie vicinorum plurumque disceptationibus dissidiisque fomitem subdidit, ubi nimirum invidia in vicini felicitatem se allisit, continuo scintillas exasperatus infelici attritu vomit animus, quarum vel una, saepe in ingentia odiorum et dis-

cordiae incendia sufficit. Pro glebae passu, pro agelli pul-
 so, pro numismate uno interdum turpiter litigatur. Sed
 Franciscus noster summa felicitate, vel primo in igniculo
 eosientia ingentia sopivit, vel ardentia iam extinxit, ni-
 hil ut tam turbidum esset, quod non summa solertia
 dilueret, tam arduum, quod non invicto animo supe-
 raret. Primum tamen accurate discepit, quam bonae cau-
 sae propugnator esset. Inalam enim tueri non alienum
 modo religionem professo, sed nefas scelestum etiam lin-
 quas operamque in hoc commodantibus est. Inde nihil
 mirum bonis bonaque causae patrocicante Deo, bonam
 causam semper triumphasse.

Sed ut felicia quaeque ubi summum attingere ca-
 mi exposita sunt, sic cedrus nostra, florida virens ex-
 celsa in casum urgebatur. Nimirum feriunt altos ful-
 mina montes, et quae altissime se extulere ruinae gra-
 viori patent. Tobus ille dolorum calamitatumque ma-
 rex oleo suo amica exostulatione Deo male sua qui-
 ritans aiebat: Contra folium, quod vento rapitur, osten-
 do potentiam tuam, hominem arboris, folii humanam
 vitam, typo signas, velut in nutum mortali bus velit.
 Quantumvis alte in coelum te celsa arbor o mi homo

fferas, comantibus undique frondibus folisque renideas,
 turbo unicus te concutet, folia diripiet, nudabit comis,
 sternet, evertet tam facili manu, quam ventus folium
 per aëra raptat.

Concinit Iobis Homerus magnus ille Graeciae vates:
 Sic agens Tytide, magnanimine, quid genus peneontaris
 cuius modi est foliorum genus, huiusmodi est hominum.
 Foliorum alia quidem ventus decutit, alia subitus turbo ra-
 pit, alia lenè procumbunt, alia alliduntur alia imma-
 tura decocta cadunt. Vita omnis mortalium folium
 est, quod vento rapitur, turbo unus, una tempesta
 quicquid pulchritudinis ornamentorumque homini cir-
 cumdatum est, mox abripit arboremque nudam relin-
 quit.

Haec quidem omni humano generi communia
 sunt. In omnes mortalium natos tempesta haec de-
 rivit. Ubi vero fulgetro armata manu Deus immi-
 nit, quis subsistet? Sibi tum illud apoplectici fluxus ful-
 gur aëre, quo cedrus nostra fulgurita est. Vere horren-
 dum est incidere in hanc Dei viventis manum!
 Sed imparato, qui providere mortem omni ex parte im-
 minentem non potuit, qui vivere nescit, qui non didi-
 cit

mori. At Cartuniano, qui nullo non die morti se transcribi novit, cui suprema omnis hora insonat, cui vivere Christus est et mori lucrum, qui mortem metam aerumarum saepe concupivit, qui in superna saepe desiderio recessit, qui se quotidie cogitatione extulit ac sepehvit, cui pertimescendus sit, provirus toties, ideoque molliter veniens subitus dudum intentati teli ictus. Optandus forte optimo cuique fuerit, qui citius mala haec finit, ocius e gravi corporis carcere animum solvit, citius in anhelata toties bona transfert, citius dat, quae hic gustabat, illic Deo satiari, impleri; quem hic in speculo et aenigmate nonnunquam vidit, illic nunquam non resecta, nulla imagine personata fumi forma pulchritudinis antiquae, cuius pero heu amatae parum serio concupitae!

Quidni ille in omnem ictum se paret, omne momentum ultimum sibi optet, qui novit, in quae male, quem terrenae habitationis carcerem compulsum gerat libera ingenuaque origine animum? Qui quotidie loquitur sibi: Tude, anima, qualis sis, onerata es peccato, irretita vitis, capta illecebris, affixa membris, confusa curis, distenta negotiis, contracta timoribus, afflicta.

doloribus, erroribus vaga, suspicionibus inquieta, sollicitudinibus perturbata advena in terra inimicorum, coinquinata cum mortuis, deputata cum iis, qui in inferno sunt. Qui quotidie suspirat et cum Iohanna vate clamat: Heu mihi, quia imolatus meus prolongatus est! Quando veniam et apparebo ante conspectum domini, ad viderendum in bonitate electorum suorum ad laetandum in laetitia gentis suae, ut laudetur cum hereditate sua? Quando videbo civitatem illam, de qua dictum est: Plateae tuae Hierusalem sternetur auro mundo, et in te cantabitur canticum laetitiae et per omnes vicos tuos Alleluja cantabitur? O civitas sancta! Civitas speciosa! De longinquo te saluto, ad te clamor, te requiro, desidero enim videre te et requiescere in te: sed non sinor carne retentus. O civitas desiderabilis! Muri tui lapis unus, custos tuus ipse Deus, cives tui semper laeti, semper enim gratulantur in visione Dei. Haec meditanti, quodcumque momentum mortis nuncium attulit bene venit, salvare iussum gratum adfuit, nec ad exitum moras tenuit, qui dudum vasa collegit; cum milite mecineto expectans, dum castrorum vallum proruitur, dum signum evicior

dum tuba sonat, dum stationem deserere iubet imperator. Itaque nostra cedens, ante morborum terredine emedulata icta concidit. Jam ante collimaverat in ictum haec manus. Nam Pragae aliquot annis ante domus negotia curans leviter tactus revaluit, donec certiore ictu telo nunquam desitura ab eis, quae semel aggratum est feriretur. Ergo iacet Franciscus Herbstius. Auctumnum puta fructibus suis gravidum, posteaquam in coeli promtuaria eos praemisisset, in hiemem mortis desisse. Haec omnibus hiems superventura est. Et heu! plurimis talis, quam nec ver florens nec aestas calore nec auctumnus fructu praevit! Sepultus est Franciscus prior pro ipso chori limine, forte id voluntate vivi momentis, quae se mortuo fieri vellet, factum. Nimirum calcari ab eis mortuus voluit, quos vivus annis 14 rexit, ut si cui fors vivus defuisset, calce in mortuo vindicaret. Hic ille est fama celebris instaurator huius domus, qui non multis iis, quibus praefuit, annis plus effecit, quam segnior alius duplicatis fecisset, qui fundamentum oeconomicae rei posuit, cui hodieque ea insistit, qui ostendit, quantum industria in rebus etiam dejectissimis possit. Qui viam secuturis

prioribus ostendit, qua si incevant, rebus optime con-
 sultum ibunt. Tota structura aedis sacrae eius opus est,
 nec non pars habitaculorum aedi ipsi attiguum, qua
 aquilonem prospectant. Ara maior, evangelii lectorium,
 sedes sacerdotis, sedilia ~~regia~~ gemina item altaria S. D.
 Joannis Baptistae et patriarchae N. Brunonis in maiore
 basilica, opus eius sunt. Redactae in formam cellarum,
 geminae, ut vocant turres et habitationi aptatae orien-
 tem intuentes cellae illius opus. Ille etiam primus, pri-
 mos huius domus possessores sacro ordini adlegit: Ex eius
 etiam voto erigitur hodie, iamque apice toto stat ae-
 des S. Josepho magno illi Dei hominis existimato paren-
 ti ac nutritori sacra ad octogesimum circiter a coeno-
 bio occidentae plagae passum fronte Sebino mont. op-
 posita, quo patrono, tutore, altore, parente, tuto canere
 notes Valdicium Dominus regit me et nihil mihi dee-
 rit, in loco parvae ibi me collocavit. Quid nutritio
 illo tibi deesse possit? Quid tutore illo timeas, cui
 servator servandus, tutor tuendus, nutritius nutrien-
 dus, [tutor tuendus], pater filius datus est?

Caput VI. tum

Bernardus Jephhardi Francisci in prioratu successor,

ius acta num. unico absolvuntur.

Sapientis dicto omnes historiae scriptores morentur non laudare hominem in vita sua. Nullum certe intutum magis genus descriptionis, eo quod gesta adhuc viventium in lucem profert. Quis enim is est, qui non plus quam fecit aut minus, quam cupiat, de se dictum putet? Maxime ubi in hominem incidit, qui se ob actiones suas circumspicit, cui facta in maius extulit, vel praepostera, vel falso fulgore lusa, vel iniqua plus aequo sibi tribuentis aestimatio. In Vatiniario aut Catilinaria odia emori nescia, multos egit non iam philippica invectiva, aut Verriana cum accusatione vituperatio, sed fuci pigmentorumque exers laudatio. Immittor tamen in pelagus hoc scopulosum ac dolosis syrtibus inferne, quod rarus sine impactu aliquo enavigavit, hominemque vivum vigentem, recenti aura in altum subvectum paucis et summa, ut aiunt, manu attingo, quod in ordine praelatorum Waldciensium sextum venientem praeterire nefas duxerim, videlicet V. P. Bernardum Jephhardt, Gemnicanae domus professorum superiore aestate Cartusiae Olomucensis clavo admotum, cui cum longo annorum symmate id omne,

quod vovet ipse, optamus vovemusque.

Is ergo Francisco Herbstio celsae cedro in ferenda huius sacri asceterii curarum laborumque mole laudatissimi fructus parens foecunda amygdalus successit, quae licet in debiliorem arborem incubuerit, tamen haec eis ferendis non impar visa est, quibus ordo a decessore inductus multum ponderis ademerat. In rectorem primum e vicario Brunensis Cartusiae a v. P. Nicolao Belffero visitatore institutus, nec longe post a reverendissimo P. generali, superiore auctumno tenuis demato Joanne Pegonio, prioris titulo huic Cartusiae praeesse, atque ut litterae institutiones loquuntur spirituale et temporale regimen in suam suscipere curam, studium et sollicitudinem novellamque hanc plantationem ab aevagine, siti et sterilitate pro posse tueri, iura defendere, aedificia promovere ac super omnia salutem animarum profectumque subditorum ardentem sapienterque procurare atque ei velut curvus Israel et auriga eius esse iussus est. Hoc est non praeesse tantum, sed prodesse, quod nunquam non ardentem, ut monitus est, effectum dare studuit, adeoque ceu florida amygdalus, quae prima inter arbores

genuascit, follicat et initiali flore praevertit veris
 decus primo in religionis vere caloremque aetatis rebus
 ad motus, quam maturos daturus esset fructus, prae-
 maturo in flore ostendebat.

Nec ab re pallentem foliis arborem in Bernardo
 exhibemus, qui rerum sibi creditarum curis frequen-
 ter impalluit, cui multus labor vires attrivit, quem
 zelus domus Dei comedit, qui quod a suis rigoris, ob-
 servantiae religionisque exiebat, prior praestitit, cui
 sacer ille timor ne quid aut Cartusiana disciplina
 dispendii, aut inutilia improvidaque impendia rebus
 detrimenti afferent, mortis colorem induxerat. Nimi-
 um sibi illud doctoris gentium dictum putabat, qui
 praest in sollicitudine nihil ab se curarum amoli-
 i voluit, quae in aliquos fructus vocarent, suo dam-
 no maloque aliorum utilitatibus serviens se ipsum
 impendens et super indendens nulli labori se nega-
 vit, qui in aliquos unus proficeret virgam vigilan-
 tem seu ut alii legunt amygdalinam prae se ferre.
 Tunica illa mystica succinctus videri poterat praela-
 tis noster, de qua ad Hoysen Deus facies, inquit, ra-
 tionale et superhumerali tunicam et lineam strictam.

Haebraei legunt tunicam oculatam nimirum ut ex-
 ponit Pagninus in paraphrasi, tunicam opere Phrygi-
 nico oculis contextam, quae proculdubia innuit tri-
 um alterum oculis ante, retro undique cinctum praec-
 latum esse oportere, ut ne in omnia unum emissi ne-
 cesse sit, plures, quos hac illac inspectores rebus mit-
 tat, habeat. Habuit enimvero Argus noster apertos,
 pervigiles et missos in omnia oculos, quorum aciem
 vix quid, quam effugeret, in omnia hi exire praeca-
 ludi et quod volvere, volentes. Unde feliciter illi res perva-
 tae, quam bubulco illi cantoculo sua bucula. Sed ut
 et Argi, ut oculati simus, quis oro tam providus om-
 nium est, quem non aliquando infervidiis factum
 seu inconsideratio seu casus impingat? A labore er-
 go et industria dulcis e praeduro putamine illi pul-
 pa suavissimi fructus veniebat peritha rerum et usus,
 ut vulgo dicimus, in digitos coactus: sic tamen, ut
 digito illi dextrae altissimi accepta omnia ferret. Quam
 in rem amoene, ut solet, luvit poeta Neotericus:

Est verbum vetus: in digitis quod scimus, habemus,
 In digitis aliquid quomodo scire licet?

Spiritus aeterni digitus patris omnia donat,

Hic unus nobis omnia dat digitus.

Omnia eo praeside hic ex destinato ceu in orbem ordine iovere, minuta quaeque suum habuere pondus, quae neglecta, alioquin facile in ruinam magnas etiam domos trahunt. Et minutis fit res, re bene ordinata stat quaeque domus. Cura minimorum, ut paululum torqueamus Sallustii dictum, res parvae crescunt incuria maximae dilabuntur. Quod non velim de iis accipi, qui praepostere oculati ad minuta quaeque pervidenda Lyncei sunt, ad dandum Euclyones, ad grandia talpae pleni rymarum hac illac perfluunt terunciolos, sestercios, asses, hac illac congerunt, summas fundunt, pulicem colant, camelum glutunt: Ars maxima est nosse quae et quemadmodum congeras et proges. Nostra amygdalus, ubi res tempusque poposcit, aliis se fructificare sciens nunquam se negavit suis veris indigentium necessitatibus patula et prostrans, ut carperet quisque pro libitu ac usu seu incommoda seu in necessitatum levamen, fructus in oleum, in lac, in condimentum, in nutrimentum licet non nunquam nucleum esse volenti nux frangenda fuerit. Sed praestantissimos quosque ac proficuos fructus altius,

diviore ac renitentiore Testa abdi natura voluit, ne si in summo capite facile bonum esset, vile fieret et contemptum.

Ut fertilius laetiusque germinaret haec amygdalus terebratae stirpi ex Columellae doctrina lapidem inserere voluit, non ex illis, de quibus Hieremias in Iherenis: lapides sanctuarii dispersi sunt in capite omnium platearum non coctilem aut arenarium spargi facilem, sed gravitatis eximia cuius pondere solidius defixus stabili sede consideret. D. Joannes in Apocal: sua mirum quid refert. Visa sibi quattuor animaha in medio sedis et in circuitu sedis quattuor animaha. Mirum qui medio et una in circuitu sedis non diverso tempore visi potuerint. Divus Ambrosius in eum locum citatus a glossa animaha haec praestites rectoresque animarum intelligit, qui in circuitu stant, cum populum sibi commissum et a visibilibus et invisibilibus hostibus quanta virtute possunt, defendunt. In medio vero sedis consistunt, cum gregi suo adsidentes unumquemque eorum ut in bonis operibus proficiant, admonere non desistant. Verbo, facto, sui ipsius praebitione forma gregis facti ex animo, ut non tam, quae agenda sibi sunt, praecepto audiat

rex, quam in vultu oreque toto praesidis legat ac velut in speculo videat. Ferunt Thasias nuces seu amygdalas, scriptas, velatas, effigiatas nasci, si aperta testa earum pulpa stylo colore litteras seu anaglypha seu diaglypha, ut voles, insculpas, et rursus obtures, atque ita terrae committas. Amygdalus nostra hoc in genere, tota effigies fuit religionis et observantiae regularis alte non in docto coelo sculptae, cuius ad exemplar quotquot eam oculi contuerentur, animum in mare possent.

Magna illi domus Dei ornandae cura fuit, quam cancellabris argenteis alta statura ab egregia arte et manu item ne alia eius metalli suppellectile sacra auxit et decoravit. Utaria quoque in maiore ecclesia ab utroque latere illic s. apostolorum, istic s. Michaelis et omnium beatorum spirituum, ubi crypta sepulchralis visitur, condita ibi cum aliis duobus corporibus Walsteinii, ut alibi diximus auro thei, micantia, radiantia, quae pictura elegans a penicillo Hieronimi Hessi, civis minoris Praegae mire illustrat, erexit. Inis quoque exterioris aules geminas, gypso varias in figuris opere plastico ducta, picturaque item a Fris Joannis insingeri professi Gemnicensis manu pulchre ornavit. Edificia ut monitus supra fuerat, insigniter promovit,

quicquid cellarum atque ambitus paustralis affectum, imperfectum decessor reliquerat, ad coronidem perduxit. Rem quoque familiarem agris, piscinis, colonis coempto tu-
 gesco auvit, verbo quacunque parte amygdalum hanc as-
 piceres fructibus onustam, mole ac copia sua laborantem
 videres. Verum sanissimo consilio, ne quod insane lu-
 xuriosis in multos foetus ac fructificationem arboribus
 evenire solit, nimio partu effoeta steriles cecit amygda-
 lus nostra, placuit eam pingui nimium humo subdu-
 cere et sabuloso magis tantisper solo condi, ut illic mino-
 re viscerum nisu, intra modum ad mensuram fructum su-
 um funderet, atque eo pacto bonum, quod ageret, diutius
 et cum tempore cumulatus agere posset. Ergo Gemnicam
 bonum, in qua Deo sibi que vivere coepit, bona superio-
 rum venia remeat, atque illic sexennio vicarius resor-
 tendas quandoque curas praelaturae velut dimidiabat.
 Alterna namque semper sapientibus placere. hiscenda
 nonnunquam seriis ioca, negotia otio sunt temperanda.
 Naturae ipsius magisterio monetur homo, ut

Quod agere diu vult, id aliquando non agat.

Enervis animus reptat in negotia

Nisi a rodale fulciatur otio.

--- multo est optima.

Interea pedo, qua laborem post quies,
 Et post quietem sit reciprocus labor,
 . . . nervo irremitto torpidus
 lentescit animus.

Mire hominibus ludit divina providentia, versat, re-
 versat, rotat, nunc sublime nunc in humili positos,
 nunc imos, nunc summos videre amat, perindeque
 vis utitur, ut calculis supputatoriis calculatores rati-
 onariis. In modo sublime locati mille valent, modo altius
 adhuc erecti numero ingenti sunt 100^m, 1000^m mox dejecti;
 ubi lineas obtinere centum 300.100 summum mille, mox
 in imum abrepti e grege numerus sunt, et quandoque
 numero nullo. Et quis diceret ei, cur ita facis? Imo sen-
 tendum quicquid facit sapientissime sanctissime op-
 time facere. Ille est, qui ponit humiles in sublime, sus-
 citat de pulvere egenum, et de stercore everat pauperem,
 ut sedeat cum principibus et solium gloriae teneat. Ille
 est, qui mortificat et vivificat humiliat et sublevat.
 Quam sapienter illi agunt, qui in summum erecti,
 non ex vulgi aestimatione, beatos se censent, sed quoties
 in isto invidioso fastigio mox tremantes et attoniti
 se vident longe abiam de se degne felicitate sua opinionem.

concepiunt, quam ab aliis habetur, quae illis videntur
 uelut praerupta putant, exanimantur et trepidant,
 quoties despexerint illud magnitudinis suae praecipit,
 si-bique loquuntur: altus es? Potes cadere et allidi? Magnus
 es? Humilis parvusque fieri potes. Cogitant in sublimi
 lubricos maxime carus; qui appetita multis formidant,
 et quae illos graves aliis reddidit, gravior ipsis et felicitas.
 Qui cupiunt otium bene et exemptum fortunae dolis, qui-
 bus odio est fulgor, et fuga iam a rebus adhuc stanti-
 bus quaeritur et aegrae fortunae sana consilia.

Infelix ille est, qui ita haeret fastigio suo, ut non
 possit ex eo nisi candendo descendere. Optime sibi in al-
 to positus consuluit, qui fastigio suo, ne cadere posset,
 descendit, maluitque praerupto cacumine, dum res sivit,
 referre petem, quam excuti et elidi. Quod Bernardus nos-
 tro visum, rectum bonumque e re sua fore si ex praeci-
 piti isto praelationis, quo trepide steterat, in planum
 formidini carus exemptum se deponeret, quod et fecit se-
 que exauctoratum positus fascibus ultro in ordinem re-
 degit, desecit ac humiliavit se, ut demum exaltaretur, ut
 evenit. Nam anno superiore rursus in sublime erectus
 praelatus Cartusiae Rommensis inter praelatos Narcoman-
 niae solium gloriae tenet. —

Caput VII tum.

Alexius Miksicz Bernardo in prioratu succedit, humili ac
 parva editus domo Ungariae in Wistok, ditionis Palfio-
 rum comitum pago, intra illos, qui a Carpatis tenduntur,
 illos vulgo dicunt montes, quos antiqua Slavorum gens,
 Marcomannorum veterum proculdubio reliquiae, cultu
 ac moribus caeteris Ungariae populis similis, lingua dis-
 tincta. Non paucae eis locis e Croatia ac confinibus oris relicta
 vallibus Turcicis hortibus patria in tutiora profectae consede-
 re, quas inter Miksiczia una fuit. Puer domi pae dōtribas
 a didascalos triviales audivit, litterarumque et latini ser-
 monis elementa haurit, ut fere tota Ungaria pueri. Prima
 in aetate pubes Taurini scholas humaniores P.P. Societ.
 adire adiit atque ibi ingenii praestantia et moribus ita e-
 quinuit, ut maecenatem in altiora studia e summis
 Ungariae proceribus comitem Ragoczium, Georgii senioris
 Transylvaniae principis fratrem nancisceretur et in ce-
 leberrima universitate Viennensi primos honores primaque
 laurea philosophiae detulit. E Viennensi collegio convito-
 rum ad Divam Barbaram, ubi triennio alitus fuerat, Cra-
 coviam eum Ragoczius transtulit et toto quadriennio per
 theologici studii curriculum aluit. Inde reversus, subditos

Magocianos, qua confines Polonis degent, excolere coepit, ser-
 mones Polono idiomate habuit, non longe quidem, nam ob-
 tenuit archidiaconatum Szabolczenseni a Georgio Lyppay,
 episcopo Agriensi. Sed Miksiczius Viennam abiit, ut prae-
 ceptor educatorque Ladislai Ragoniczii filii. In Vienna autem
 post multas animi inquietibus et pugnis anno 1641. con-
 stituit in Cartusianorum haurbacense coenobium ingredi
 et facta est protinus tranquillitas agitato pectore magna
 frustra semper alibi quaesita. Compositis omnibus rebus suis
 anno sequente ex Ungaria in Cartusiarum Brunense coeno-
 bium advenit et ibi in ordinem acceptus^{us} est. Sed propter
 irruptionem Suecorum cum Torstensonione in Moraviam,
 ubi Mostadium Olomuciumque acceperant et ita ad Bru-
 nam iter patefactum habuerunt, omnes Cartusiani in Austri-
 am fugerunt et Gemniciano denique in coenobio Car-
 tusiarum habitu ab visitatore ordinis indutus est. Hoc ibi
 in honorem vocatus, insus Hierophylacio praecesse, tandem-
 que anno 1648. a provinciae visitatoribus Joanne Serpen-
 tino Saitzensi priore et Georgio Eichenlaub Agspacensi,
 visitatione ordinaria vicarii munere amplissimae et tota
 Germania facile principi Gemnicanae domui praecesse jus-
 sus, illud deinceps grave ac multis undique cinctum

molestis varia fortuna totis viginti annis cum laude sum-
 ma compluribus provinciae locis gessit. Hoc in munere
 etiam uno Ungariam conspexit, profectus ad Ladislaum co-
 mitem Ragocium in causa desertae olim propter bella Polo-
 nica et Hungarica Cartusiae in Lehnitz, quam tunc pos-
 sidebat dictus comes Ladislaus. Infecto hoc negotio Idumum
 reversus est et mox transiit in Laicensem Cartusiam vi-
 carii titulo conventui praefecturus. Illic etiam in priorem coe-
 nobi electus est. Inde a 1656. iterato Gemnici in vicarium
 a commissariis reverendissimi patris generalis virtutem vici
 magnamque rerum Cartusianarum usum suspicientibus
 institutus est et anno 1662. Romucium eodem nomine ac
 potestate missus. Denique rursus Waldicium, ultimam in
 stationem suam appulsi, prioratum a generali ordinis
 Joanne Pegonio post Bernardum Jephard obtinuit. Sub eius
 regimine ecclesia Waldiciana dedicationem obtinuit. Haec
 sacra aedes fundamenta habuit a priore Philippo Busc-
 kio, structuram et culmen a Francisco Herbstio et orna-
 tum ab antecessore Alexi P. Bernardo. Die 7. Octobris 1669.
 maximo populi concursu et celebritate Basilicae pars ex-
 terior atque octo istae positae arae consecratae sunt ab
 illustri principi Matthaei a Bilenberg, archiep. Pragensis.

1. Octobris consecratum est altare princeps cum geminis ad
 latera alius in sacratio et capitulari aede, nec non coemi-
 terio. Ornatus adhuc in basilica defuerat et hunc Alexius
 absoluit. Proximo in tempore conatur Alexius resuscitare Car-
 tuseriam Pragensem, olim a thuritis dirutam, exiguo cum effectu.
 A. 1670. Alexius fit comunitator provinciae, collega ad visitan-
 dum S. Ludovico priori Gemnicano datus. Sed mox iam
 viribus senio laboribusque fractis, in horas deficiens, locu-
 lum sibi, quo reponendus in tumulo esset fieri iussit, ubi
 et 22. Julii anno 1672. impositus est, primus priorum
 in coemiterio nuper consecrato. —

Ex manuscripto, *Syntagma historicum cartusiarum reg-
 ni Bohemiae, continens ortum, progressum, statum, fatum
 atque occasum veterum, novae vero Waldicianaee funda-
 tionem, variam deinceps fortunam*. . . Orig. ex fine saec.
 XVII. conservatur in archivio terrae moraviae Brunae.